FRANCISCI BERNARDINI FERRARIJ AMBROSIANI COLLEGIJ...

Francesco Bernardino Ferrari,
Josè Maria Fonseca de Evora

Digitized by Google

6
40-c
2
A

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
28 H
7

6-40. c. 2

X 1 u 8

14 A

H.III.7

FRANCISCI BERNARDINI FERRARII

Ambroſiani Collegij Doctoris,

DE ANTIQVO *ECCLESIASTICARVM EPISTOLARVM GENERE.*

Libri Tres.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



MEDIOLANI,

Apud hær. Petr. Mart. Locarn. & Io. Bapt. Bidellium Socios. M. DC XIII.

Superiorum permiſſu.

Facultas Collegij Ambroſiani.

Tibi Franciſco Bernardino Ferrario AMBROSIANI COLLEGII Doctori libros tres de *Antiquo Eccleſiaſticarum Epiſtolarum genere*, omnium Doctorum eiuſdem COLLEGII ſuffragijs, conſenſuque receptos, imprimendi facultatem concedimus.

Antonius Olgiatus Collegij Ambroſiani Præſes, ſuo & Collegarum Nomine.

Imprimatur

Fr. Aloyſ. Bariola Auguſtinianus Conſultor Sācti Officij pro Reuerendiſs. Inquiſitore.

Aloyſ. Boſſius Can. Ordin. Theol. pro Illuſtriſſimo Cardinali Archiepiſcopo.

Vidit Saccus pro Excellentiſſimo Senatu.

Clariſsimo, doctiſsimoque Viro

MARCO VELSERO REIPVBL. AVGVSTANÆ II. VIRO PRAEFECTO,

FRANCISCVS BERNARDINVS FERRARIVS

AMBROSIANI COLLEGII *Doctor S.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PRoſanos Veterum ritus, ac ceremonias e tenebris eruerunt plerique luculenter ſane & erudite; ſed docta Eccleſiæ antiquitas, quod te non fugit, Marce Velſere, omni liberali doctrina politiſſimum, nondum ſatis culta & illuſtrata eſt. Quapropter ſacros eruditionis Theſauros ſi quis conetur ex Eccleſiaſtico Aerario in

publicum proferre, næ ille non ſolum de Eccleſiaſticarum rerum ſtudioſis, ſed de vniuerſa quoque Chriſtiana Religione optime meritus exiſtimabitur. Ego quidem; vt eam, quæ mihi in AMBROSIANO COLLEGIO obtigit, ſpartam non deſererem, cœpi paratam pridem pretioſam eiuſmodi ſupellectilem, qua poſſem ratione, adornare; cuius partem hanc publici nunc iuris fieri voluerunt doctiſſimi Collegæ mei. Arripui libenter ipſe optatam diu occaſionem inſcribendi tibi aliquid ex ſtudijs meis depromptum, & teſtificandæ meæ erga te obſeruantiæ. Tu pro tua humanitate, & hoc pignus animi mei benignus excipe, & me ea, quam ſtudioſis omnibus præſtare ſoles, beneuolentia amplectere. Vale. Mediolani ex Bibliotheca Ambroſiana, Pridie Idus Auguſti. 1612.

SERIES CAPITVM
Hiſce tribus Libris.
COMPREHENSORVM.

Liber Primus.

De Canonicis, ſeu Formatis Epiſtolis.

OPeris Neceſsitas, Vtilitas, & Diuiſio. Caput I. pag. 1
Canonicarum, ſeu Formatarum Nomen. Cap. II. 3
Canonicarum, ſeu Formatarum Origo. Cap. III. 7
Cur nulla Canonicarum, ſeu Formatarum mentio nunc reperiatur in Nicænæ Synodi Canonibus, & vniuerſis Actis. Cap. IIII. 9
De Canonicarum, ſeu Formatarum forma. Cap. V. 16
Canonicas ſeu Formatas genus eſſe ad Cõmunicatorias, Dimiſſorias, Commendatitias, & Pacificas. Cap. VI. 34
De Comunicatorijs Epiſtolis. Cap. VII. 38
De Dimiſſorijs. Cap. VIII. 51
De Commendatitijs. Cap. IX. 62
De Pacificis. Cap. X. 76

Liber Secundus.

De reliquis Eccleſiaſticis Epiſtolis.

DE Tractorijs. Cap. I. pag. 86
De Tractatorijs. Cap. II. 95

De Paſcalibus. Cap.III. 99
De Encyclicis, ſeu Circularibus, ac Catholicis. Cap.IV. 108
De Decretalibus. Cap.V. 117
De Synodicis, ſeu Synodalibus. Cap.VI. 121
De Clericis Litteris. Cap.VII. 136
De Confeſſorijs. Cap.VIII. 141
De Priuatis. Cap.IX. 143
De Captiuorum Litteris. Cap.X. 144
De Commonitorijs, ſeu Memorialibus. Cap.XI. 149

Liber Tertius.

De vniuerſo Eccleſiaſticarum Epiſtolarum apparatu.

DE Eccleſiaſticarum Epiſtolarum Inſcriptione, ac primo de Nominibus cuique Epiſtolæ præmitti ſolitis. Cap.I. 151
De Salutatione. Cap.II. 165
De Eccleſiaſticarum Epiſtolarum Clauſula. Cap.III. 177
De Eccleſiaſticarum Epiſtolarum Tabellarijs. Cap.IV. 187

FINIS.

INDEX AVCTORVM,

Qui in hiſce tribus libris

Citantur, Explicantur, Emendantur.

A

ABbo Epiſcopus. pag. 164
Ado. 112
Ado Viennenſis. 164
Aimoinus. 169
Alphonſus Piſanus. 13. 103
Aluarus Pelagius. 161
D. *Ambroſius.* 103. 105. 155. 172.
Anaſtaſius Bibliothecarius. 101. 102. 132
Andreas Alciatus. 51
Andreas de Anania. 161. 162
Andreas Schottus. 6
Anonimus Scriptor Vitæ D. Gregorij. 161
Anſegiſus Abbas. 88
Antonius Auguſtinus. 30. 170
Antonius Salmatius. 36
Archidiaconus. 161
D. *Athanaſius.* 11. 14. 84. 103
Atticus Cōſtantinopolitanus Epiſcopus. 5. 7. 16
D. *Auguſtinus.* 22. 23. 36. 39. 46. 47. 91. 97. 98. 112. 143. 150. 158. 163. 169. 179. 180. 190. 192.
Auiulfus Epiſcopus. 164
Aurelius Prudentius. 172

B

BArnabas Briſſonius. 32.86.87.89.90.169
D. Baſilius. 155.168
Beatus Rhenanus. 41.65.142
Beda. 99.103.112.140
Bonifacius Epiſcopus. 49
Burchardus. 27.53.58.61.72.75

C

CAnones Apoſtolorum. 65
Capitularia Caroli Magni, &c. 88.90
Cardinalis Baronius. 6.10.21.32.45.65.87.99 101.104.111.113.115.122.130.131.135 138.140.155.156.157.159.172.174.187
Cardinalis Bellarminus. 13.122.156
Cardinalis Hoſius. 122
Carolus Magnus. 158
Caſſiodorus. 7
Cedrenus. 31
Chriſtophorus Clauius. 32
Clemens Romanus. 109.157
Codex Theodoſianus. 87
Concilium Agatenſe. 43
Concilium Aphricanum. 60.91.94.149
Concilium Arelatenſe. 44.45.104.123
Concilium Aurelianenſe. 33.82.107
Concilium Cabilonenſe. 94

Concilium Carthaginenſe. 35.43.52.57.58.96
Concilium Chalcedonenſe. 53.71.79.156
Conciliū Conſtātinopolitanū. 113.123.184.185
Concilium Eliberinum. 44.142
Concilium Epheſinum. 123
Concilium Florentinum. 12
Concilium Laodicenum. 5
Concilium Lugdunenſe. 148
Concilium Mediolanenſe. 108
Concilium Meldenſe. 94
Concilium Mileuitanum. 94
Concilium Nicænum. 103.123.157
Concilium Sardicenſe. 52.57
Concilium Tridentinum. 51.70
Concilium in Trullo. 56.57
Concilium Turonenſe. 165
Concilium Vaſenſe. 21
Conſtantinus Caietanus. 164
Conſtantinus Magnus. 87
Conſtantius Epiſcopus. 164
Conſtitutiones Apoſtolicæ. 65
Coſmas Magalianus. 167
D. Cyprianus. 39.44.48.110.122.136.137.138.140.141.146.148.153.188.189.
D. Cyrillus. 150

D

DAmaſus Papa. 101.102.158
Deſiderius Epiſcopus Cadurcenus. 163.164

Ele-

E

ELegius Epiſcopus. 163
Elias Cretenſis. 8.66
Ennodius Ticinenſis Epiſcopus. 82.83.84.182.
Epiphanius. 39.103.109.110.117.173.
Euagrius. 85
Euripidis Scholiaſtes. 63
Euſebius. 51.94.100.103.111.117.118.172
Euſebius Emiſſenus. 162
Euſebius Papa. 158

F

FAuſtus Rhegienſis Epiſcopus. 180
Felix Epiſcopus. 164
Franciſcus Balduinus. 6.45.86
Franciſcus Turrianus. 76.77.78.128.129.
Fronto Ducæus. 131

G

GAllus Epiſcopus. 164
Garſias Loayſa. 143
Gaſpar Schoppius. 162
Gaudentius Brixianus. 158
Gelaſius Cyzicenus. 172
Gelaſius Papa. 47.119.120.124.125.158.
Gerardus Rodolphus. 6.14.15.24

Gilbertus Genebrardus. 161. 175
Gloſſa Pragmatica. 3
Gloſſatores Decretalium. 161
Gloſſatores Gratiani. 33. 37. 58. 96
Gratianus. 12. 15. 18. 28. 29. 37. 53. 54. 58. 94. 96. 102. 154.
D. Gregorius Nazianzenus. 8. 9. 66
D. Gregorius Papa. 23. 81. 114. 119. 125. 126. 127. 149. 160. 166.
Guglielmus Budæus. 64.
Gulielmus Stuchius. 64

H

HEnricus Caniſius. 161. 163. 164. 181
Hermes. 101
Heruetus. 71
D. Hieronymus. 23. 102. 119. 155. 179. 190
Honorius Auguſtodunenſis. 102. 112.

I

IAcobus Cuiacius. 6. 86. 87. 89. 186.
Iacobus Gretſerus. 173. 186
Iacobus Nicolaus Loenſis. 64
Iacobus Pamelius. 145
Iacobus Sirmondus. 83
D. Ignatius. 100. 166. 178. 187. 191
Ingulphus Anglicanus. 184
Innocentius Papa. 53. 146

Ioan-

Ioannes Andreas. 161
Ioannes Caſſianus. 107
D. Ioannes Chryſoſtomus. 146.168.179
Ioannes Diaconus. 126. 161
Ioannes Fileſacus. 87. 99
Ioannes Lorinus. 146
Ioannes Stephanus Durantus. 146
Ioannes Turrecremata. 97
D. Irenæus. 39
Iſidorus Hiſpalenſis. 13.104.116.173
Iuo Carnothenſis Epiſcopus. 12. 13. 15. 18. 24 25. 53. 58. 72. 94.
Iuſtiniani Imperatoris Authentica. 186
D. Iuſtinus. 147
Iuſtus Lipſius. 173

L

LAurentius Surius. 113
Leontius Bizantinus. 116
Leo Papa. 32.76.104.105.106.119.132.134 145.171.
D. Lucas. 145
Lucianus. 75
Lucianus Hieroſolymitanus Presbyter. 21
Lucifer Epiſcopus Caralitanus. 157
Lucius Papa. 94
Ludouicus Ruſſardus. 169

Mar-

M

MArcellinus. 112
Marianus Scotus. 12.15
D. Martialis. 167
Martinus Cruſius. 171.185
Martinus Monacus. 160
Matthæus Blaſtares M.S. 55.68.74.80.84
Matthæus Raderus. 113
Melchior Canus. 122
Metaphraſtes. 41

N

NIcephorus Calliſtus. 8.11.40.51.67.103. 111.112.
Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus. 130.
Nicolaus Papa. 120
Nouellæ Iuſtiniani Conſtitutiones. 4

O

OEcumenius. 115
Onuphrius Panuinius. 14.31.32.102
Optatus Mileuitanus. 22.39.45
Ordo Romanus. 36.146
Origenes. 173

P

D. PAulinus. 147
D. Paulus. 23.70.145.167.177.178.187
Paulus Diaconus. 67
Paulus Epiſcopus. 164
Pelagius Papa. 160
D. Petrus. 177
Petrus Patriarcha Antiochenus. 132
Petrus Patriarcha Conſtantinopolitanus. 131
Petrus Pithœus. 87.104
Photius. 4.13.112.122.127
Pius Papa. 100.110
Plinius Iunior. 89
D. Polycarpus. 167.188
Polydorus Virgilius. 174
Pragmatius. 186
Protherius Alexandrinus. 99

Q

QVintinus Hæduus. 73

R

RAbanus Maurus. 146
Ragembertus Vercellenſis Epiſcopus. M. S. 29
Rauratius Epiſcopus. 164
Rufinus. 11.13

Se-

S

SEuerinus Binius. 86.104
Sidonius Apollinaris. 150.157.158
Socrates. 41.103.111.122
Sophronius Patriarcha Hieroſolymitanus. 127
Sozomenus. 8.67.172
Sulpitius Epiſcopus. 164
Symmachus. 152
Symmachus Papa. 49
Synodus, Vide Concilium.

T

TErtullianus. 39.41.77.146.147.158.159.
165.173.
Theodoritus. 103.111.172
Theodorus Balſamon. 35.36.37.54.55.56.57.
59.60.61.62.68.69.71.73.170.
Theodorus Peltanus. 131
Theophanes. 130
Theophylactus. 70
Theophylus Alexandrinus Epiſcopus. 78.79.
103.108.135.178.
Theophylus Cæſareæ Paleſtinæ Epiſcopus. 102

V

VErus Epiſcopus. 164
Victor Papa. 101

Vigilius Papa. 33.104.120
Vincentius Lirinenſis. 150
Vſuardus. 112
Vuillhelmus Damaſus Lindanus. 142.156
Vuillhelmus Tyrius. 115

Z

Zonaras M. S. 5.35.36.37.59.60.61.71
73.75.80.
Zoſimus Papa. 158

FINIS.

DE ANTIQVO ECCLESIASTICARVM Epiſtolarum genere.

Libri Tres.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMAN.

De Canonicis, ſeu Formatis Epiſtolis, Liber Primus.

Operis Neceſsitas, Vtilitas, & Diuiſio. Caput Primum.

IN veteri Eccleſiæ memoria cum multæ res ſcitu digniſsimæ, nec ſatis adhuc explicatæ, iacent in tenebris retruſæ, tũ perobſcura ea eſt, quam tractare aggredior, de antiquo Eccleſiaſticarum Epiſtolarum genere, à multis promiſſa, à pluribus expectata, & à nemine, quod ſciam, adhuc cumulatè tractata. Quæ quidem eo maioribus obſtructa eſt difficultatibus, quo nos ad eius cognitionẽ ſola interdum propè duce ac magiſtra coniectura deducimur. Ec- *Operis neceſsitas.*

cleſiaſticarũ ſiquidem Epiſtolarum, nomen, origo, vſus, & circunſtantiæ, quas dicũt, ita in veterum Eccleſiæ Patrum libris, Conciliorum voluminibus, & reliqua Eccleſiæ hiſtoria, in occulto latent, vt earũ vix aliqua vel leuiter preſſa veſtigia nobis appareant. Quàm vellẽ, vt docti ij viri, qui vetera quæque animo tractant, & res antiquitatis obſcuritate inuolutas feliciter aperiunt, eam quoque iniſſent gratiam ab Eccleſiaſticæ eruditionis ſtudioſis, vt hunc locũ ſcriptis ſuis illuſtraſſent. Sed quoniam aut negligunt ij, aut differunt, abſolutionem huic rei adhibere, ipſe, qui in Collegio Ambroſiano Ritibus Eccleſiaſticis, Chriſtianæque eruditioni ſum addictus, ne ſolus inter tã multos excellenti induſtria, ac doctrina Viros, operi vnumquemque ſuo egregiè intentos, ceſſator eſſe videar, ſi nõ perfectionem, conatum certè adferam, & adumbrationem: ex qua tamen afferetur haud minima lux vete-
Vtilitas. ribus Concilijs, totique Eccleſiaſticæ hiſtoriæ intelligendæ, Epiſcoporum vigilantia ac Cleri diſciplìna percipietur, & plures aperiẽtur antiquioris Eccleſiæ Ritus ac Cerimoniæ. Totam autem Eccleſiaſticarum
Diuiſio. Epiſtolarum tractationem (vt inſtituti mei rationem breuiter aperìam) in tres libros partiri, ac diſtribuere cõmodum duxi; quorum primus Canonicarum, ſeu Formatarum no-

nomen, originem, formam, ſpecies, & cœtera his adiuncta complectetur; verſabitur alter circa reliquas Eccleſiaſticas Epiſtolas; tertius & vltimus ea omnia continebit, quæ ad vniuerſas quoquomodo pertinere videbuntur.

Canonicarum, ſeu Formatarum Nomen. Cap. II.

A Canonicis autem, ſeu Formatis, quæ inter Eccleſiaſticas Epiſtolas, ſiue antiquitas ſpectetur, ſiue forma; principatum tenent, quæue tanquã genus quatuor ſub ſe continent ſpecies, exordiri hoc loco commodiſsimum puto. Atque, vt ab earum nomine initium faciam, illud notandum eſt, vocem hanc, Canonicum, tripliciter potiſſimum ab Auctoribus vſurpari conſueuiſſe. Primò modo pro eo, quod ſacris Conciliorum Canonibus introductum eſt ac confirmatum, qua notione quicquid huiuſmodi eſt, Canonicum à Græcis appellatur; qua etiam ſignificatione Horas Canonicas ita appellatas docet Gloſſ. Pragmat. tit. quomodo Diuinum officium ſit recitandum, voce, Canonicas. Altero modo pro eo, quod ad Eccleſiam, & Chriſtianæ Religionis negotiũ quoquo modo pertinet, vt nihil omnino differat Canonicum ab Eccleſiaſtico,

Vox, Canonicũ, tripliciter vſurpata.

Primò modo.

Secundò.

 vnde

vnde in Nouellis Iuſtiniani Conſtitutionibus Conſtitut. 115. num. 35. ita habetur. *Si de negotio Eccleſiaſtico, ideſt Canonico, cauſa emerſerit &c.* Qua etiam notione Photius Conſtantinopolitanus vir acerrimi iuditij; & multæ eruditionis auctor in Bibliotheca ſua num. 133. in Baſilio, Baſilij Magni Epiſtolas in duas veluti Claſſes diſtinguit; in Canonicas, ideſt in eas quæ vel ad dogmata fidei, vel ad Eccleſiæ politiam, ſeu diſciplinam referuntur (in quibus duobus conſiſtit vniuerſum Eccleſiæ negotium,) & in alias, quibus nimirum, aut iocatur ſuauiſsimè cum D. Gregorio Nazianzeno, aut cum Libanio Sophiſta, alijſque nonnullis ſoluto animo familiariter agit. Tertiò modo pro eo accipitur, quod ſub certis, ac determinatis Canonibus, ſeu Regulis concipitur, ac formatur; & ita vox hæc, Canonicum, latinè loquentibus Regulare ſonat, ἀπὸ τȣ̃ κανόνος, hoc eſt à Regula. Cum itaque Canonicas dico Epiſtolas, Canonicum in tertia ſignificatione accipio; non quod eis minimè conueniant aliæ duæ notiones, ſiquidem (vt infra dicemus) & ſacris Conciliorum Canonibus fuerunt introductæ, ac confirmatæ, & agitur in ijs ſemper, vel de fidei dogmatibus, vel de Eccleſiæ politia, ac diſciplina; ſed quia notio hæc earum adeo propria eſt, vt nullo modo conueniat cœteris Eccleſiaſticis Epiſtolis,

Tertiò.

ſtolis, quarum videlicet ſcribēdi forma pro rerum, & perſonarum multiplicitate, ac varietate varia ſemper, ac multiplex eſſe conſueuit.

Canonicarum Epiſtolarū Nomen.

Canonicæ igitur Epiſtolæ, quantum ad vim nominis ſpectat, ex eo Canonicæ fuerunt appellatæ, quod iuxta certos, ac determinatos Canones, & ſub Regulis quibuſdā ſolemnibus ſtatuerunt Patres, vt conciperentur, ac formarentur. Id quod ex ijs, quæ de earum Origine ac forma infra ſubijciam, facilè conſtabit; colligiturque manifeſtè ex Zonara ad Can. 42. Synodi Laodicenæ, qui ſic ait, *Κανόνικα γράμματα ἐνταῦτα ὠνόμασεν, ὡς κατὰ κανόνα γινόμενα*, hoc eſt, *Idcirco Canonicæ appellantur, quia iuxta Canonem factæ ſunt.*

Canonicæ eædē cum Formatis.

Quas porrò Græci dixere Canonicas, eas Latini Formatas appellarūt; vt eſt apud Atticum Conſtantinopolitanum Epiſcopū ad finē Chalcedonenſis Concilij in hęc verba, *Græca elementa litterarum numeros etiam exprimere, nullus qui vel tenuiter Græci Sermonis notitiam habet, ignorat; ne igitur in faciendis Epiſtolis Canonicis, quas mos Latinus Formatas appellat &c.* Quod etiā indicat haud obſcurè latina ſecūda Editio Canonis quarti Synodi Laodicenæ, quæ ita habet, *Non oportet Miniſtrum altaris, vel etiam Clericum, ſine Canonicis litteris, ideſt Formata aliquò proficiſci*, cum tamen Græcus ipſe contextus de Canoni-

nonicis tantum mentionem faciat, *ὅτι οὐ δεῖ ἱερατικὸν, ἢ κληρικὸν ἄνευ κανονικῶν γραμμάτων ὁδεύειν*. Quo magis mirandum videtur, eruditiſsimos viros, quos hic Attici locus minimè latuit, Franciſcum Balduinum ad libr. ſecundum. Optati Mileuitani Epiſcopi de Schiſmat. Donatiſt. Gerardum Rodolphum libello de litteris Canonicis cap. 3. & Illuſtriſs.Cardinal. Baronium tomo 2.Annal.ad ann. Chriſti 142. & alibi, negare, formatas vnum idemque eſſe cum Canonicis,& affirmare ſolo nomine à Communicatorijs differre,q̃ ſententiam latè diluā infrà ſuo loco.

Formatarũ nomen.

Formatas autem à forma, ſeu formula Latini appellarunt, quod nimirum ſub certa, ac determinata forma (vt ſcriptũ etiam reliquit eruditiſsimus Cuiacius ad tit.4.lib.3. Decret.cap.5.)verbisque ſolemnibus, adhibitis notis ac ſignis, de quibus infra,concipi ſolerent. Vnde & *τετυπωμένας* à poſterioribus Græcis ſcriptoribus aliquãdo nũcupatas reperio, *ἀπὸ τοῦ τύπου*, hoc eſt à forma.

De hac porro vocis ſignificatione ſic ad me aliquãdo ſcripſit vir ſummæ eruditionis Andreas Schottus Soc.Ieſu,Formatas ex eo fuiſſe appellatas huiuſmodi litteras, quod haberent talem formam, qualem publica, inſtrumenta, & edicta habere ſolent. *Formatas*,inquit,*has Epiſcopi litteras dixerũt,vt Formales Epiſtolas Suetonius*, in Domitiano

cap.

cap. 13. *ad exemplum enim formalium Imperatoris Epiſtolarũ has excogitatas eſſe opinari, licet; vt namque Imperator illis edicebat, & publicè ad aliquem ſcribebat, ſic Epiſcopus his publicè ad Coepiſcopos ſcribit, & eos de neceſſitate profectionis, & de licentia proficiſcendi Clerico, vel Monaco data certos facit; dictæ autem Formatæ, ſiue Formales, quia habent talem formam, qualem publica inſtrumẽta, & edicta habere ſolent.* Hactenus Schottus.

Canonicarum, ſeu Formatarum Origo. Cap. III.

IAm vero Canonicas, ſeu Formatas Epiſtolas à trecẽtis decem, & octo Patribus in Nicæna Synodo congregatis excogitatas fuiſſe, & inuentas; ſeu potius certam earum à Nicænis Patribus præſcriptã fuiſſe, & ab omnibus obſeruari iuſſam cõceptionem ac formulam, locupletiſsimus teſtis eſt idẽ Atticus Conſtantinopolitanus Epiſcopus loco ſupra citato, cuius ea verba ſunt, *Græca elementa litterarum numeros etiam exprimere, nullus qui vel tenuiter Græci Sermonis notitiam habet, ignorat; ne igitur in faciendis Epiſtolis Canonicis, quas mos latinus Formatas appellat, aliqua fraus falſitatis temerè præſumeretur, hoc à Patribus trecentis decem, & octo Nicææ congregatis ſaluberrimè inuentum eſt, &*

Canonicarũ ſeu Formatarum origo ex Concilio Nicæno.

conſtitutũ, vt Formatæ epiſtolæ hanc calculationis, ſeu ſupputationis habeãt rationem, ideſt, vt aſſumantur in ſupputationem prima Græca elementa Patris, & Filij, & Spiritus Sancti &c. Ex quibus Attici verbis illud præterea diſcimus, cur à Nicænis Patribus excogitata fuerit, ac cõſtituta huiuſmodi Epiſtolarum Formula, *Ne aliqua*, inquit Atticus, *fraus falſitatis temerè præſumeretur*, hoc eſt, ne ita facilè poſſent Hæretici huiuſmodi epiſtolas adulterare, ac per fucum, & ſimulationem imitari. Ita enim accipienda eſſe Attici verba, ex eo perſpicuè liquere arbitror, ꝙ ſeduli ſemper Catholicorũ æmulatores fuerũt Hæretici in ijs præſertim rebus, quibus facilè poſſent incautos, ac ſimplices homines in fraudem inducere: quod quemadmodum de pleriſque Catholicorum actionibus conſtat, ita veriſsimum eſſe de huiuſmodi epiſtolis conuincitur ex ijs, quæ de Iuliano Apoſtata habent Greg. Nazianz. oratione 1. in Iulianũ, Sozomenus Hiſtor. Eccleſiaſtic. lib. 5. cap. 15. Niceph. Calliſt. lib. 10. cap. 21. & Elias Cretenſis in Commentarijs ad citatum Nazianzeni locum. Referunt igitur omnes hi auctores, conatum fuiſſe Iulianum imitari, quin etiam deprauaſſe eas Canonicas, ſeu Formatas Epiſtolas (Cõmendatitias nimirum) quas qui proferret, veluti Hoſpitalitatis teſſera data, comiter ac benignè

Formatæ cur excogitatæ & inuentæ.

Formatarũ adulterator Iulianus Apoſtata.

tan-

tanquam notus, & amicus à Catholicis Hoſpitio exciperetur; ac Diui quidē Gregorij, vt de alijs nunc taceam, verba ſunt, ἔτι δὲ καταγώγια πήξασθαι καὶ ξενῶνας, ἁγνευτήριά τε, καὶ παρθενῶνας, καὶ φροντιστήρια, καὶ τὴν εἰς τοὺς δεομένους φιλανθρωπίαν, τήν τε ἄλλην ὁπόση, καὶ τὴν ἐν τοῖς ἐπιστολιμαίοις συνθήμασιν, οἷς ἡμεῖς ἐξ ἔθνους εἰς ἔθνος χρήζοντας παραπέμπομεν, ideſt, *Diuerſoria & hoſpitales domos ædificare, monaſteria item, et Virginum Cœnobia inſtituebat*(Iulianus) *ſimulq́ue humanitatem, ac benignitatē erga pauperes adiungere, cùm in alijs rebus, tùm in Commendatitijs epiſtolis ſitam, quibus eos qui inopia premuntur ex gente ad gentem tranſmittimus*. Sed hæc fuſius, & accuratius. cap. 9. cum de Commendaticijs agemus. Huic igitur malo vt obuiam irent, & nefarios hoſce Hæreticorum conatus vtcunq; comprimerent SS. Patres in Nicæna Synodo congregati formulam hanc epiſtolarum ſaluberrimè inuenerunt, ac conſtituerunt.

Cur nulla Canonicarum; ſeu Formatarum mentio nunc reperiatur in Nicænæ Synodi Canonibus & vniuerſis Actis. Cap. IV.

SEd mirum hic fortaſſe cuipiam videbitur, Formatarum nos, ſeu Canonicarum Epi-

Epiſtolarum Originem, ac Formulam ex Attico Conſtantinopolitano Epiſcopo ad trecentos decem & octo Patres, qui in Nicænam ſynodum conuenerant, retuliſſe, cum tamen in ipſius Concilij Canonibus, & vniuerſis Actis nulla de ijs mentio reperiatur. Hanc difficultatem, vt exorberet Illuſtriſsimus Baronius, huncq́ue ſibi ex animo ſcrupulum euelleret, à quo credibile eſt punctū non leuiter fuiſſe, ac ſtimulatum, in eam tādem iuit ſententiam 3. Annal. tomo ad ann. Chriſti 325. vt exiſtimaret, Concilij Nicæni Canonem de Formatis, ſeu Canonicis Epiſtolis nequaquam cum cœteris editum fuiſſe, ſed penes Catholicos Epiſcopos ſecretò retentum, ne videlicet apud omnes peruulgatus anſam præberet Hæreticis, huiuſmodi epiſtolas per fucum, & ſimulationem imitandi, & ita incautis, ac ſimplicibus Chriſtianis imponendi. Rectè ne id an ſecus Baronius viderint ij, qui curioſius omnia inueſtigant. Illud ſanè certiſsimum eſt, quemadmodum Acta ipſa teſtantur, adfuiſſe Nicænæ Synodo non Epiſcopos ſolum Catholicos, ſed ipſum quoque Arium, pluresq́ue Arij ſectatores, & aſſeclas, ac Ethnicos etiā aliquot Philoſophos, credendum vt ſit fieri difficillimè potuiſſe, vt Canon ille de Formatis apud Catholicos duntaxat Epiſcopos ſepoſitus lateret, Hæreticis omninò ignotus:

tus; cum ſint præſertim Hæretici genus hominum curioſiſsimum. Quin etiam teſtantur Nicephorus Calliſt. lib.8.cap.51.& Ruffinus lib.1.Hiſt.Eccleſiaſt.cap.5. atque adeo colligitur ex ipſo ſubſcribentium cathalogo, qui ad finem Cōcilij habetur, ipſummet Arium,& Euſebium Nicomediȩ Pontificem, Arianȩ ſeditionis anteſignanum, vndecimque alios Epiſcopos Arij aſſeclas, quamuis fictè, ſubſcripſiſſe tamen Nicȩnis Decretis, quȩ quidem hac vna de cauſa credibile non eſt, ignota apud eos fuiſſe.

Mihi certè multum, ac ſȩpè rem hanc cogitanti, illud maximè occurrit animo, Nicȩnos Canones, quemadmodum Athanaſij aliorumq; Aegyptiorum Epiſcoporum litteræ ad D.Marcum Papam datæ teſtantur, ab Arianis, quòd eorum pondere premi ſeſe, ac vrgeri magnoperè intelligerent, paſſim exuſtos ita fuiſſe, vt non multò poſt habitam Synodum vix alibi quàm Romæ poſſent inueniri, *Ad vos perueniſſe non dubitamus*, Athanaſij verba ſunt, *quanta & qualia ab Hæreticis, & maximè ab Arianis quotidiè patimur, quoniam in tantum ab eis perſequimur, vt etiam viuere iam nos tædeat*. Et mox, *Libros verò noſtros vſq; ad minimum incendentes, nec iota vnum relinquentes, propter veritatis fidem etiam Nicænam Synodum, qua modo Clerus, & populus imbuebatur, & maximè*

Nicæni Canones ab Arianis combuſti.

iam imbuti erant, in contumeliam noſtram, & omnium Chriſtianorum incenderunt. Et paulo poſt, *Nunc ergo quia ab inimicis ſanctæ Dei Eccleſiæ, & maximè ab Arianis, à quibus quotidiè expugnamur, conterimur, & opprimimur, ſeptuaginta Nicæni Concilij Capitula ſunt igne combuſta, optamus, vt à veſtræ ſedis auctoritate, quæ eſt mater, & caput omnium Eccleſiarũ, ea ad correctionem, & recreationem fidelium orthodoxorum, percipere per præſentes Legatos mereamur &c.* Extat hæc Epiſtola, ſicut & Marci Reſcriptum inter Opera Athanaſij. Meminit vero vtriuſque Marianus Scotus ad ann. Chriſti 333. & Iuo Carnotenſis Epiſcopus 4. parte Decretorũ. cap. 108. & 109. Citant eas etiam Gratianus 1. parte Decreti. diſtinct. 16. cap. Septuaginta, & apud Iuonem vbi ſupra cap. 232. Stephanus Papa ad Luthobium, ſeu Luythobium Moguntinum Epiſcopum ſcribens. Fit præterea de ijs mẽtio in Concilio Florentino ſeſſ. 20. Quę ideo huc attuli, vt conuincerem, haſce Athanaſij litteras ad Marcum Papam datas, & ipſius Marci Reſcriptum apocrypha minimè eſſe, vt cenſent nonnulli. Exemplum porrò illud Nicænorum Canonum, quod integrum Romæ aſſeruabatur, poſt non longum tempus eorumdem Arianorum malis artibus, qui Conſtantium Conſtantini filiũ Imperatorem in ſuas partes pertraxerant, ita

mu-

mutilatum fuit, aut compreſſum, vt nunquã hactenus authentica eiuſdem Cõcilij Acta, veriq́ue ac germani Canones diuulgati fuerint, præter notos illos viginti, qui vel conſentientibus ipſis Arianis ad noſtra vſque tempora conſeruati ſunt, vel ijſdem inuitis à Ruffino in ſua Eccleſiaſtica Hiſtoria. libr. 1. capit. 6. relicti nobis fuere, aut etiam ad Africanos Pontifices in 6. Carthaginenſi Concilio congregatos ab Attico Conſtantinopolitano, & Cyrillo Alexandrino Epiſcopis fuerunt tranſmiſsi. Sed iam quota quæſo pars erat illa Nicænæ Synodi? Cuius Acta tradit Photius in ſua Bibliotheca. nu. 88. à Gelaſio Cæſareæ Paleſtinæ Epiſcopo tribus voluminibus fuiſſe comprehenſa; & apud Iſidorum Hiſpalenſem in ſuæ Collectionis Canonum prologo (quem citat Iuo 4. parte Decretorum. cap. 110. & integrum refert Alphonſus Piſanus in Actis, & Canonibus Nicænis à ſe collectis) teſtantur *Oriẽtales quidam*, Iſidori verba ſunt, *è conſortio fratrum ſuorum, Nicæna ſe vidiſſe Acta, potiorem habentia quatuor Euangeliorum magnitudinem*. Ipſa autem Decreta, plura quàm viginti fuiſſe, ex eo manifeſtè conuincitur, quod recitant paſsim Patres (quos omnes recenſet Illuſtriſsimus Cardinalis Bellarminus libr. 2. de Romano Pontifice. capit. 25. & Alphonſus Piſanus loco ſupra citato.) alij

Actorum Nicænorum magnitudo.

Niceni Canones germani, plures quam viginti.

alij alia tanquam Nicæna, cum tamen inter ea viginti, quæ feruntur, nulla ſint omnino. Ex eodem autem Athanaſio vbi ſupra didicimus, quadraginta prius à Latinis Patribus, totidemque à Græcis, ideſt ſimul octoginta Canones editos fuiſſe, poſtea vero ad ſeptuaginta redactos, ſecundum myſticum diſcipulorum Chriſti numerum, vel totius orbis terræ linguarum. Quamquam Onuphrius Panuinius in Chronico Eccleſiaſtico ad annum Chriſti 325. neſcio quem ſequutus, quatuor & octoginta numerat. Operæ pretium autẽ erit ipſa Athanaſij uerba hoc loco ſubiungere, quoniam à Gerardo Rodolpho, uiro alioqui docto, perperam accepta, anſam ei dederunt toto cœlo errandi in Nicænorum Canonum numero explicando. *Sanè præſentibus nobis*, inquit Athanaſius, *octoginta Capitula in memorata*, Nicæna, *tractata ſunt Synodo, ſcilicet quadraginta à Græcis Græca edita lingua, & quadraginta à Latinis ſimiliter latina edita lingua; Sed viſum eſt trecentis decem, & octo Patribus ſancto ſpiritu repletis, in prædicto Concilio congregatis, & maximè iam dicto Alexandro*, Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopo, *& Apoſtolicæ Sedis Apocriſarijs*, Victori, & Vincentio Presbyteris, *vt Decem Capitula adunarentur alijs, atque congruis locis insererentur, & ad formam ſeptuaginta diſcipulorum, vel totius orbis terræ lin-*

Nicæno rum Canonum numerꝰ.

linguarum, ſeptuaginta tanti, & tam excellentis Concilij fierent Capitula, quæ omnem Chriſtianorum informarent orbem. Hæc Athanaſius, cuius locum, quantum ad notas numerorum attinet, planè mendoſum cenſet, ac corruptum Gerardus Rodolphus vbi ſupra cap. 15. atque ita commutatis numeris reſtitui oportere affirmat, vt loco (octoginta) ponatur (ſexaginta) & pro (quadraginta) vbique ſubſtituatur (triginta.) *Nam ſi decem Capitula*, inquit, *bis quadraginta addantur, nonaginta fiunt, quod eſt contra mentem Athanaſii.* Verum prior lectio omnino retinenda eſt, quam videlicet ſequuti ſunt Marianus Scotus ad ann. Chriſti 333. Iuo 4. parte Decretorum. cap. 108. Gratianus diſtinct. 16. cap. Septuaginta, & alij, à quibus ſine cauſa diſſentire temerarium eſſet. Anſam porrò errandi Rodolpho præbuit vox illa, *adunarentur*, quam ita accepit, quaſi dixiſſet Athanaſius, *de nouo adderentur*, cũ reuera pro inſererentur, ac interijcerentur accipi debeat, vt apertè colligitur ex ſequentibus verbis; *atque congruis locis inſererentur.* Vt is demum verus, ac germanus huius loci ſenſus eſſe videatur, Viſum eſt trecentis decem, & octo Patribus ſancto ſpiritu repletis, in prædicto Concilio congregatis, vt decem Capitula adunarentur aliis, atque congruis locis inſererentur, hoc

eſt,

eſt, vt ex vniuerſis octoginta Canonibus decem numero pręciderentur, ac demerentur, reliquiſq; ſeptuaginta infererentur, ac interijcerentur, plures nimirum in pauciores coacti, ipſa ſolummodo Canonum diſtinctione, ac ſerie paululũ immutata. Cũ igitur certiſsimum ſit, plures quàm viginti fuiſſe Nicænorum Patrum Canones; cõſtetque liquido, viginti dumtaxat ad nos perueniſſe, cœteris per ſummam Arianorũ fraudem, ac malitiam, vel compreſsis, vel igne conſumptis, nemini mirum videri debet, ſi in ijs qui reliqui nobis fuere, nulla de Formatis fiat mentio, mirum ſit vbique ſilentiũ.

Cur nulla Formatarũ mẽtio in Nicænis Canonibus, & actis.

De Canonicarum, ſeu Formatarum Epiſtolarum forma. Cap. V.

PОrrò qua verborum formula, quibuſue ſignis, ac notis conciperentur Epiſtolæ formatæ, videndum eſt hoc loco. Qua de re commodum erit, locum illum Attici Conſtantinopolitani Epiſcopi, quem decurtatũ ſupra adduximus, huç integrum inſerere *Græca,* inquit Atticus, *elementa litterarum numeros etiam exprimere, nullus, qui vel tenuiter Græci ſermonis notitiam habet, ignorat; ne igitur in faciendis Epiſtolis Canonicis, quas mos Latinus Formatas appellat, aliqua fraus falſitatis temerè præſumeretur, hoc à patribus trecentis decem,*

Formatarum formula.

decem, & octo Nicææ congregatis ſaluberrimè inuentum eſt, & conſtitutum, vt Formatæ epiſtolæ hanc calculationis, ſeu ſupputationis habeant rationem; id eſt, vt aſſumantur in ſupputationem prima Græca elementa Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, hoc eſt, π, υ, α; quę elementa, & octogenarium, & quadringenteſimum, & primum ſignificant numerum. Petri quoque Apoſtoli prima littera, id eſt, π, quæ numerum octoginta ſignificat. Eius quoque qui ſcripſit epiſtolam prima littera; cui ſcribitur ſecunda littera; accipiētis tertia littera; ciuitatis quoque de qua ſcribitur, quarta; & Indictionis, quæcunque eſt eiuſdē temporis, idem qui fuit numerus aſſumatur: atque ita his omnibus Græcis litteris, quæ, vt diximus, numerum exprimunt, in vnum ductis, vnam, quæcunque fuerit collecta, ſummam Epiſtola teneat; hanc, qui ſuſcipit, omni cum cautela requirat expreſsè. Addat præterea ſeparatim in epiſtola nonagenarium, & nonum numerum, qui ſecundum Græca elementa ſignificat, valete in Domino. Hæc Atticus. Verum enim vero locus hic aut corruptus eſt, aut certè mutilus, etenim, vel expungendum eſt, *Valete in Domino*, & pro eo ſubſtituendum, ἀμήν; vel ſi verba, *Valete in Domino*, retinenda contendamus, addenda eſt nihilominus vox ἀμήν, & verbis, *Valete in Domino*, præponenda. Characteres ſiquidem huius vocis, ἀμήν, nonagenarium nonum numerum exprimunt,

quo claudi, ac terminari omninò oportere huiuſmodi Epiſtolas tradit Atticus ex Nicænorum Patrum Decreto. Id quod etiam ex Formatæ exemplari in Creſconiana Collectione deſcripto ſub eiuſdem Attici titulo apertè colligitur, in quo ea verba leguntur, *Addat prætereà ſeparatim, ἀμήν, quod in Epiſtola nonagenarium, & nonum numerum ſecundum Græca elementa ſignificat.* Id ipſum quoque ex Gratiano diſtinct. 73. haud obſcurè intelligi poteſt, inquit enim, *Addat prætereà ſeparatim in epiſtola nonagenarium, & nonum numerum, qui ſecundum Græca elementa ſignificat, ἀμήν.* Verum apertius, & copioſius formulam totam conſcribendarum huiuſmodi epiſtolarum ex eodem Attico expreſsit Iuo ſexta parte Decreti cap. 433. in hæc verba, *Græca elementa litterarum, numeros etiam exprimere, nullus, qui vel tenuiter Græci ſermonis notitiam habet, ignorat; ne igitur in faciendis epiſtolis Canonicis, quas mos Latinus Formatas appellat, aliqua fraus falſitatis temerè præſumeretur, hoc à Patribus trecentis octodecim Nicææ congregatis ſaluberrimè inuentum eſt, & conſtitutum, vt Formatæ epiſtolæ hanc calculationis, ſeu ſupputationis habeant rationem; id eſt, vt aſſumantur in ſupputationem prima Græca elementa Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, id eſt, π, υ, α; quæ elementa octogenarium quadringenteſimum, & primum ſeruant numeros.*

Petri

Petri quoque Apoſtoli prima littera, ideſt, π, quæ numerum octogenarium ſignificat; Eius qui ſcribit epiſtolam prima littera; cui ſcribitur ſecunda; accipiẽtis tertia; ciuitatis quoque, de qua ſcribitur, quarta, & indictionis, quæcunque eſt illius temporis, numerus aſſumatur. Atque ita his omnibus Græcis litteris, quæ, vt diximus numeros exprimunt, in vnum ductis, vnam, quæcunque collecta fuerit, ſummam epiſtola teneat. Addat præterea ſeparatim in epiſtola, etiam nonagenarium, & nonum numeros, qui ſecundum Græca elementa ſignificant, ἀμὴν, Tres igitur prædictæ litteræ, ideſt π, υ, α, & prima littera, ex nomine Petri, ideſt, π, quingenteſimum ſexageſimum, & vnum faciunt numeros. π, enim, quæ eſt prima in nomine ſummi Patris, octogenarium numerat; υ, vero quæ eſt prima in nomine filij, quadrĩgẽteſimũ numerat; α, vero, quæ prima eſt in nomine ſpiritus ſancti, vnũ indicat: ſi addas, π, quæ in nomine Petri eſt prima, ideſt octogenariũ, reperies quĩgẽteſimũ ſexageſimũ primũ. Ἀμὴν vero, quod in fine prædictæ epiſtolæ ſcriptum eſt, nonagenarium indicat; α, enim vnum; μ, quadraginta; η, octo; ν, quinquaginta numerum, qui 99. efficiunt numeros; ſi vero totam ſummam ſimul iungas, 660. epiſtola numeros tenet. Hactenus Iuo.

Ex hac porrò Formatarum formula ab Attico, Iuone, & Gratiano expreſſa, nouem potiſsimum elicio fuiſſe olim à Patribus in huiuſmo- Requiſita ad Formatarũ Conceptioné.

huiūſmodi Epiſtolis conſcribendis accuratè, ac diligenter obſeruata. Primum eſt, adhibita ſemper fuiſſe prima elementa Græca Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, hoc eſt, π, υ, α. Secundum, primam litterā principis Apoſtolorum Petri, nimirum π. Tertium, primam litteram Epiſcopi Formatam exarantis. Quartum, ſecundam litteram eius, ad quem ſcribebatur. Quintum, tertiam litteram deferentis epiſtolam. Sextum, quartam litteram loci, ex quo Formata dabatur. Septimum, numerum Indictionis anni illius, quo litteræ ſcribebantur. Octauum, terminatam ſemper fuiſſe epiſtolam voce hac, ἀμὴν. Nonum demum, characteres hoſce omnes in vnum collectos, ordineque diſtributos ad finem cuiusque epiſtolæ, tanquam numerorum notas poſitos ſemper fuiſſe. Quatuor autem prima illa elementa Patris, Filij, Spiritus Sancti, & Petri, ſicut, & vox, ἀμὴν, cuique Formatæ immutabilia inhærebant; reliqua vero, nomina videlicet ſcribentis, deferentis, & accipientis Formatam, locus ex quo data illa erat, & Indictionis numerus, pro perſonarum, locorum, ac temporum diuerſitate, ac mutatione mutabantur, ac variabantur.

Prima Græca Patris, & Filij, & Spiritus ſancti elementa Formatis addita.

Cauſam vero, cur prima illa Græca elementa Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, cuique Formatæ à Patribus immutabili adnotarentur,

tarentur, nullam aliam commodiorem adſignari poſſe exiſtimo, quàm vt peſtifera Arij, aliorumque Hæreticorum tunc vigentium opinio conuelleretur prorſus, ac euerteretur, qua Filium Patri minimè coęternum, nec conſubſtantialem impiè affirmabant. Quemadmodum enim ad Pelagij Hæreſim (qui liberum arbitrium diuinæ gratiæ anteferebat, affirmabatque ad diuina iuſſa implenda voluntatem per ſe ſine gratia ſufficientem eſſe) eijciendam prorſus, & euellendam, conſueuerunt illius temporis Patres in epiſtolarum ſuarum principio, miſericordia Dei, & Gratia indigentes ſeſe appellare, vt obſeruauit Baron. ad ann. Chriſti 415. eam referens epiſtolam, quam Lucianus Hieroſolymitanæ Eccleſię Presbyter de reuelatione corporũ Beatiſsimi Stephani protomartyris, & Sanctorum Gamalielis, Nicodemi, & Abibonis, ad vniuerſos Chriſti fideles dederat; cuius illa erat inſcriptio, *Lucianus miſericordia Dei indigens, & omnium hominum minimus, Presbyter Eccleſiæ Dei, &c.* Quemadmodum etiam ad eundem Arianorum errorem refellendum, ac coarguendum conſtitutum fuit (vt ex Vaſenſis Concilij 2. cap. 5. conſtat) vt Glorificationis hymno, ſic appellabant Patres hymnum Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, adderentur ea verba, ſicut erat in principio, & nunc, &

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ſemper, & in ſæcula ſæculorum, exprimentia trium ſanctiſsimæ Trinitatis perſonarum coæternitatem, Identitatem naturæ, ac conſubſtantialitatem; ita credendum videtur, fuiſſe à Patribus inſtitutum, vt in huiuſmodi Formatis conſcribendis adhiberentur tria illa elementa Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, veluti ſymbolicæ Formulæ eandem diuinarum perſonarum æqualitatem, ac conſubſtantialitatem exprimentes.

Prima Petri littera cur Formatis addita.

Porrò cum is, qui huiuſmodi litteris munitus incedebat, agnoſci deberet à Catholicis, non modo tanquam de fide rectè ſentiens, ſed etiam tanquam habens veram cũ Eccleſia Catholica communicationem, idcirco prioribus illis Græcis Patris, & Filij, & Spiritus ſancti elementis, additam arbitror à Patribus primam Apoſtolorum Principis litteram, ipſummet Petrum exprimentem; in cuius ſede nimirum viguit ſemper totius Eccleſiæ Catholicæ vnitas, ac principatus; adeo vt ille demum verè Catholicus eſſe probaretur, qui Petri ſucceſſori eſſet communione coniunctus, is vero Hæreticus, atque ſchiſmaticus, cui Romanę Sedis communicatio denegaretur. Quo vno argumento Optatus Mileuitanus Epiſcopus lib. 2. aduerſus Parmenianum probat ſe Catholicum, Hæreticos vero, ac ſchiſmaticos Parmenianum, & cœteros Donatiſtas. Et D. Au-

guſtinus

guſtinus epiſt. 165. & contra epiſt. Manichęi cap. 4. hoc vno ſigno Catholicos, ab Hæreticis affirmat eſſe diſtinguendos.

Cur pręterea voce, ἀμὴν, clauderent veteres Formatam quamcunque, eam puto fuiſſe rationem, vt ea voce, quaſi certo ſigno, ac nota, vere ac fideliter iuxta conſtitutam ac pręſcriptam à Nicœnis Patribus formam exaratas fuiſſe huiuſmodi litteras demonſtrarent. Eam enim eſſe vocis huius ſignificationem teſtatur apertè ex Aquila, Symmacho, & Theodotione D. Hieronymus in ſuis ad cap. 6. Matthæi commentarijs, & ad cap. vltimum epiſtolę D. Pauli ad Galatas, & ad cap. 14. primę ad Corinthios. Idque Apoſtolorum exemplo factum fuiſſe facilè crediderim, quod & eorum Epiſtolę hac vna ſemper terminatione concludantur, & affirmet D. Paulus 2. ad Theſſalonicenſ. cap. 3. voces haſce, *Gratia, Amen*, veram, ac germanam fuiſſe epiſtolarum ſuarum notam; quam deinde mutuatum eſſe, ſuamque feciſſe Diuum Ignatium Antiochenum Epiſcopum Gregorius Papa lib. 4. epiſt. 37. ad Anaſtaſium Antiochenum Epiſcopum ſcribens tradit his verbis, *Amen, Gratia, quæ verba de ſcriptis veſtris accepta, idcirco in meis epiſtolis pono, vt de Sancto Ignatio veſtra beatitudo cognoſcat, quia non ſolum veſter eſt, ſed etiam noſter, ſicut enim magiſtrum eius Apoſtolorum*

Voce ἀμὴν cur Formata clauderetur.

Principem habemus communem, ita quoque eiuſdem Principis diſcipulum nullus noſtrum habeat priuatum. Quamquam neſcio qua Librariorum incuria, aut temporis iniuria factum ſit, vt non niſi Epiſtola ad Epheſios, & illa, quæ eſt ad Polycarpum ſcripta, ea terminatione concludantur.

Sed vt clarius hæc omnia innoteſcant, ipſa Formatarum Exempla ſubiungam, quæ apud Iuonem, Burchardum, & Gratianum habentur. Et quoniam malè collocatis, ac interpoſitis numerorum notis valdè corrupta ſunt, ac deprauata (vt & Gerardus Rodolphus admonuit) idcirco commutatis numeris ex certa, ac firma coniectura, emendata, ac reſtituta ſubijciam. Primum Formatæ exemplum apud Iuonem habetur in Decreto 6. parte de cauſis Clericorum. cap. 434. in hæc verba,

Formatarum exēpla.

In nomine π, Patris, & υ, Filij, & α, Spiritus ſancti, Rathbodus ſanctæ Treuerenſis Eccleſiæ, ac plebis ipſius humilis famulus Rotberto Reuerendæ ſanctæ Metenſis Eccleſiæ Antiſtiti in Chriſto Principe Paſtorum manſuram cũ gaudio proſperitatis, ac perpetuitatis gloriam. Decreta ſanctorum trecentorum decem, & octo Patrum Nicææ conſtitutorum ſaluberrima ſeruantes, Deo dignam piamque Fraternitatem veſtram canonicè aggredimur, & ſub nomine Formatæ Epiſtolæ reuerenter veſtram ſanctitatem adimus,

adimus, vobis videlicet intimando, quia præſenti Presbytero noſtro, nomine Giſlemaro, has Dimiſſorias dedimus litteras, quem in noſtra Diœceſi Eccleſiaſticè educatum, de ordine Clericatus ad Presbyteratus proueximus gradum, vt his canonicis munito apicibus cum noſtra licentia in veſtra Parœcia ſub defenſione, ac regimine veſtræ charæ dilectionis degere liceat, illumque in ſinu ſanctæ Matris Eccleſiæ canonicè fouendum, ac regendum vobis committimus. Hanc ergo Epiſtolam Græcis litteris hinc inde munire decreuimus, et annulo Eccleſiæ noſtræ bullare cenſuimus. Chriſtus Paſtorum Princeps interuentu B. Petri, cui ſpetialiter ouile Dominicum cõmiſſum eſt, Fraternitatem veſtram ad cuſtodiam ſui Gregis diu nobis conſeruet incolumem. M. CCCC. XXXIX. π, υ, α, π, ϱ, ο, σ, υ, θ, ἀμήν. Dat. Treueris idibus Octobris an. Dominicæ Incarnationis D. CCCC. VI. Indictione VIIII.

Alterum Formatæ exemplum ab Iuone relatum legitur ibidem cap. 435. his verbis.

Reuerendiſſimo, & Sanctiſſimo Rathbodo Sanctæ Treuerenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, Dado Virdunenſis Eccleſiæ deuotus gregis Chriſti famulus in Domino vero Rege ſummę fœlicitatis beatitudinem. Cum Sancta Catholica Eccleſia prompta ſit ſequi documenta Euangelica, quæ dicunt, Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ mercedem Prophetæ accipiet, & qui recipit iuſtum in nomine iuſti, &c.

&c. Et Apoſtolus iubeat, hoſpitalitatem nos ſectari, & neceſſitatibus ſanctorum virorum communicare, tamen propter eos, qui cauteriatam habent conſcientiam, dicentes ſe eſſe ſimplices cum ſint aſtutia diabolica repleti, & pro opere Pietatis dicunt ſe de loco ad locum tranſire, cum ſint ſua malitia faciente fugitiui, & dicunt ſe eſſe miniſterio ſacro inſertos, cum non ſint; ſtatutum eſt à Sanctis Patribus, neminem Clericum alienum, & ignotum recipi ab aliquo Epiſcopo, & intronizari in ſua Eccleſia, niſi habeat à proprio Epiſcopo Epiſtolam, quæ in Canonibus nominatur Formata. Ideo notum facimus paternitati veſtræ, quod præſens frater noſter, harum litterarum portitor, nomine Adruinus, non pro ſua nequitia expulſus eſt à nobis, ſed poſtulantibus fratribus noſtris, eo quod ex familia noſtra fuit, dedimus ei libertatem receptam à cornu altaris Canonicè, & ordinauimus eum ad gradum Presbyterij, cui etiam has Dimiſſorias ſiue Commendaticias litteras fecimus, & eum ad veſtram dilectam fraternitatem dirigimus, vt in veſtra Parœcia ſub veſtro ſacro regimine, & defenſione conſiſtere valeat. Ego in nomine ϖ, Patris, & υ, Filij, & α, Spiritus Sancti, & in vnitate Sanctæ Eccleſiæ, in qua Petro datum eſt ius ligandi atque ſoluendi; abſoluo Dado humilis Epiſcopus Presbyterum Adruinum de Ciuitate Virdunenſi, & licentiam do vobis, Rathbode venerabilis Archiepiſcope, introni-

troni-

tronizandi eum in quacunque Eccleſia vultis ve ſtræ Parœciæ. Dilectam Paternitatem veſtram virtutum floribus inſignitam omnipotens Deus conſeruare dignetur: D. CC. LXXVIII. ϖ,υ,α,ϖ,δ,α,ϱ,δ,θ,ἀμήν. Data Virduni V. Idus Maij anno Dominicæ Incarnationis D. CCCC. VI. Indictione VIIII.

Burchardus verò, vt conſtat ex ſecundo ſuorum Decretorum lib. cap. 227. Valterio Spirenſi Epiſcopo hanc Formatã Exarauit.

In Nomine Patris π, & Filij υ, & Spiritus Sancti α, Valterio Spirenſi Epiſcopo Ego Burchardus Sanctæ Vormacienſis Eccleſiæ deuotus gregis Chriſti famulus, in Deo vero ſummæ felicitatis beatitudinem. Cum Sancta Catholica Eccleſia prompta ſit ſequi documenta Euangelica, quæ dicunt, Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, accipiet mercedem Prophetæ, & qui recipit iuſtum in nomine Iuſti, &c. Et Apoſtolus iubeat, hoſpitalitatem nos ſectari, & neceſſitatibus ſanctorum virorum communicare; tamen propter eos qui cauteriatam habent ſuam conſcientiam, dicentes ſe eſſe ſimplices cum ſint aſtutia diabolica repleti; & pro opere pietatis dicunt, ſe de loco ad locum tranſire, cum ſint ſua malitia faciente fugitiui; & dicunt, ſe eſſe miniſterio ſacro inſertos, cum non ſint: ſtatutum eſt à Sanctis Patribus, neminem Clericum alienum, & ignotum recipi ab aliquo Epiſcopo, & intronizari in ſua Eccleſia, niſi habeat à proprio

Epi-

Epiſcopo Epiſtolam, quæ in Canonibus nominatur Formata. Ideo notum facimus Paternitati veſtræ, quod præſens frater noſter, harum litterarum portitor, nomine Ecmannus, non pro ſua nequitia expulſus eſt à nobis, ſed poſtulantibus fratribus noſtris, eo quod ex familia noſtra fuit, & noſter baptizatus, fecimus ei libertatem receptam à cornu altaris canonicè, & ordinauimus eum ad gradum Presbyterij; cui etiam has Dimiſſorias, ſiue Commendaticias litteras fecimus, & eum ad veſtram dilectam fraternitatem dirigimus, vt in veſtra parœcia ſub veſtro ſacro regimine, & defenſione conſiſtere valeat. Ego inquam Burchardus humilis Epiſcopus in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & in vnitate Sanctæ Eccleſiæ, in qua Petro datum eſt ius ligandi atque ſoluendi, abſoluo Ecmannum Presbyterum de Ciuitate Vormacienſi, & licentiam do vobis inthronizandi eum in quacunque Eccleſia vultis veſtræ Porœciæ. Hanc ergo Epiſtolam Græcis litteris hinc inde munire decreuimus, & annulo Eccleſiæ noſtræ firmare cenſuimus. Fraternitatem veſtram Chriſtus nobis incolumem conſeruet. D. CC. LIII. π, υ, α, π, β, α, μ, μ, ι, ἀμήν. Data Vormaciæ Idibus Martij Anno Dominicæ Incarnationis, M. XII. Indictione X.

Hanc Burchardi Epiſtolam tranſcripſit Gratianus in ſuo Decreto prima parte diſtinct. 73. cap. 1. eodem autem planè modo emen-

emendanda eſt. Alterum autem Formatæ exemplum ibidem cap. 2. à Gratiano relatum, tot ac tantis adfectum eſt vulneribus, vt temerarium ſit omninò medicas ei velle adferre manus, vnde nec operæ pretium erit, huc illud adducere.

Accedat, & quartum Formatæ exemplũ, à Ragemberto Vercellenſi Epiſcopo Andreæ Mediolanenſi Archiepiſcopo olim exaratæ. Id depromptum eſt ex antiquiſsimo Vercellenſis Eccleſiæ M. S. Codice. Ragemberti autem verba ſunt hæc,

In Nomine Patris π, & Filij, υ & Spiritus Sancti α, Reuerendiſſimo omniqueſacra veneratione colendo Patri Andreæ ſanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo, Ragembertus Sanctæ Vercellenſis Eccleſiæ humilis Epiſcopus præſentem, & æternam in Domino fœlicitatem. Quia ſacris apicibus veſtris Valfredum Eccleſiæ noſtræ Subdiaconum vobis conſecrandum Eccleſiæ Iporedienſi ad votum Cleri, & populi Præſulem expetiſtis, nefas à nobis aliquid ſanctis petionibus veſtris denegari exiſtimãtes, iuxta morem, & reuerentiam Canonicæ definitionis, vſque ad gradum Subdiaconi noſtrorũ Prædeceſſorum ſollicitudine promotum, Paternitati veſtræ ad Epiſcopalem Cathedram Domino adminiculante concedimus promouendum. Ne ergo de ipſius vita, & conuerſatione præſenti occaſione quidpiam Almitati veſtræ neceſſe ſit ambi-

ambigere, præſentibus humilitatis noſtræ litteris eum proſecuti ſumus, quibus illum in ſacroſancta religione, in quantum audiuimus, & cognouimus; atque humana fragilitas exiſtimare ſufficit, hactenus conuerſatum fuiſſe teſtificamur; eumque ad id miniſterium peragendum ſatis profitemur idoneum; de cuius etiam commendatione, vt omnis ambiguitas abſtergatur, Græca elementa cum proprij ſupputatione numeri dignũ duximus inſerēda, Patris ſcilicet, & Filij, & Spiritus Sācti primā litterā, Petri Apoſtoli primā litteram, nominis quoque noſtri primam, veſtri ſecundam, fratris proficiſcentis tertiam, Ciuitatis noſtræ quartam; quarum numerus in ſummam ductus ipſas habet litteras conſequenter adiunctas; ſed & numerum præſentis Indictionis eidem ſupputationi, ſicut ratio dictat, credidimus adijciendum; addidimus præterea nonagenarium, & nonum numeros, quibus diuinæ figuræ iurisiurandi ſine dubio patenter exprimuntur arcana. D. CCC. LXVII. π, υ, κ, π, ρ, ν, λ, η, ϛ, ἀμὴν. Data Vercell. Anno Incarnationis D. noſtri Ieſu Chriſti D. CCCC. IV. Indictione VII.

Epiſcopis linguæ Grecæ cognitio neceſſaria.

Cęterum ex hac veteri Formatarum Formula duo amplius elicio cum eruditiſsimo Viro Antonio Auguſtino lib. 1. de Emendatione Gratiani Dialogo 16. Alterum eſt, Epiſcopis linguæ Græcæ cognitionē fuiſſe neceſſariā, quomodo enim potuiſſent Epi-

ſcopi

ſcopi, Græcarum litterarum ignari, Græcos characteres in formata requiſitos conſcribere? Quæ neceſsitas ex eo etiam intelligitur, quòd in Eccleſiarum conſecratione iubentur Epiſcopi Græcas, & Latinas litteras in pauimento ſcribere. Alterum, tempore Nicænæ Synodi Indictionis numeros in vſu fuiſſe; ſtatuerunt ſiquidem Patres in ea congregati, vt Indictionis etiam numerum haberent Formatæ. Eſt autem Indictio (vt hoc obiter admoneam) ſpatium quindecim annorum in orbem circumactorum, ſeu quindecim annorum in ſe reuolutorum iteratio: cuiuſmodi partitione tempora numerari, computarique Conſtantinus inſtituit, vt auctor eſt Onuphrius Panuinius lib. 2. Faſtorum in Conſtantino: Quamuis Cedrenus in Theodoſio ſcribat, morem hunc ipſius Theodoſij principatu, abrogatis exploſisque Olympiadis, initium habuiſſe. Ipſam vero Indictionem per arithmetices præcepta facilè reperiemus, ſi annis Domini adijciemus tres annos, numerumque collectum per 15. diuidemus; numerus enim ex diuiſione reliquus, erit Indictio quæſita; quod ſi nihil ſupererit, Indictio quæſita erit decima quinta. Vt ſi Indictio quæratur hoc anno 1610. additis tribus, & numero conflato 1613. per quindecim diuiſo, ſupereſt numerus octo pro Indictione anni

Indictio, Nicænæ Synodi tempore vſurpata.

Indictio quid.

Indictionis origo.

Indictio quomodo per Arithmeticen reperiatur.

1610.

1610. huius igitur anni Indictio erit octaua: Quod ſi nihil remanſiſſet, quintadecima fuiſſet Indictio; qualis fuit anno 1557. additis enim tribus, & numero conflato 1560. per quindecim diuiſo, nihil remanſit, & ita Indictio anni 1557. fuit quintadecima. Sed de Indictionis computatione, quo tempore cęperit, à quo fuerit inſtituta, & quo menſe inchoata, qui plura ſcire deſiderat, legat Onuphrium Panuinium loco citato, Barnabam Briſſon. de verborum ſignificatione verbo Indictio, Christophorum Clauium in Computo Eccleſiaſtico capit. 11. & Baron. ad ann. Chriſti 312. Qua de re nobis etiam alius, vt ſpero, dabitur commodior dicendi locus.

Paſchæ dies Formatis additus.

Etiam illud, priuſquā à Formatarum forma diſcedam, admonebo; à Patribus, qui in Africanam Synodum ſub Bonifacio, & Cœleſtino celebratam conuenerant, fuiſſe conſtitutum, vt Formatis quibuſcunque apponeretur Paſchæ dies illius anni, quo dabantur; quod ſi Paſchæ dies adhuc eſſet incertus, ob eam videlicet rationem, quod Formatas exarare contingeret ante illius promulgationem (propter enim diei huius incertum, ne qua, vel ignorantia, vel præſumptione, diuerſitas in eius celebratione incurreret, futurus Paſchalis dies Epiſcopis denunciari, ac ſignificari ſolebat, vt ex Leonis

Paſchæ futurus dies olim litteris denūciabatur.

nis epiſt.95. ad Galliarum, & Hiſpaniarum Epiſcopos miſſa, & ex epiſtola Vigilij Papę ad Eleutherum liquet; atque adeo Synodi Aurelianenſis quartæ. cap. 1. cautum fuit, vt Paſchæ feſtiuitas ſingulis annis ab Epiſcopo Epiphaniorum die in Eccleſijs denunciaretur; qua de re fusè nos infra lib. 2. cùm de Paſcalibus epiſtolis) tunc ſancitum, vt Paſchæ dies præteriti anni formatis adderetur; Canonis 73. verba in hanc rem ea ſunt, *Formatæ autem, quæ à Primatibus, vel à quibuſcunque Epiſcopis, Clericis proprijs dantur, habeant diem Paſchæ; quod ſi adhuc eiuſdem anni Paſchæ dies incertus eſt, ille præcedens adiungatur, &c.*

Epiphaniorũ die Paſchæ feſtiuitas olim denũciata.

Ac neque prætermittendum cenſeo, hanc Formatarum Epiſtolarum formam, quamuis abolitam nunc, ſeu potius intermiſſam (vnde nec in ſcholis legitur amplius 73. Diſtinctio, quæ de Formatis agit, vt ibi obſeruat Gloſſa) eſſe tamen perpetua recordatione dignisſimam; tum quia à tam celebri Concilio excogitata fuit, & inuenta; tum etiam quia ex ea, vt dictum eſt, Romani Pontificis Primatus in Eccleſia Catholica colligitur, dum tribus illis trium diuinarum perſonarum litteris prima quoque adijci iubetur Apoſtolorum Principis Petri, qui à Chriſto Domino vniuerſalis in Eccleſia Vicarius relictus fuit, & in cuius ſe-

Formatarũ forma nunc etiã perpetua recordatione digniſſima.

de viguit ſemper totius Eccleſiæ Catholicæ Vnitas ac Principatus.

Canonicas ſeu Formatas genus eſſe ad Communicatorias, Dimiſſorias, Commendatitias, & Pacificas. Cap. 6.

Formatarũ ſpecies quatuor.

IAm verò Formatas genus eſſe ad Communicatorias, Dimiſſorias, Commendatitias, & Pacificas, certiſsimo illud argumento eſt, quod quicunque de Canonicis Epiſtolis aliquid ſcripſere, affirmarunt, Canonicas tanquam genus ſub ſe continere Communicatorias, Dimiſſorias, Commendatitias, & Pacificas; cum autem conſtet manifeſtè tum ex ijs, quæ ſupra ex Attico Conſtantinopolitano Epiſcopo attulimus cap. 2. tum ex vi vtriuſque nominis ac ſimilitudine, de qua ibidem, eaſdem omnino eſſe Latinis Formatas, quæ Græcis fuere Canonicæ; fatendum eſt, Formatis tanquam generi ſubeſſe Communicatorias, Dimiſſorias, Commendatitias, & Pacificas. Sed, & ſupra poſita cap. 5. Formatarum exempla ex Iuone, Burchardo, Gratiano, & Ragemberto Vercellenſi Epiſcopo, hanc veritatem omninò ſtabiliunt; Formatæ ſiquidem inſcribuntur omnes eæ Epiſtolæ, cum ſint reuera (quem admodum legenti perſpicuũ

fiet)

fiet) aut Dimiſſoriæ tantum, aut Dimiſſoriæ ſimul, & Commendatitiæ: quæ Inſcriptio falſa prorſus eſſet ac plena erroris, niſi fateremur Formatas genus eſſe ad Dimiſſorias, & Commendatitias. Id quod etiam ex Balſamone ad can. 42. Synodi Laodicenæ colligere licet, cuius verba ſunt, *Alij quoque Canones decernunt, non debere Clericos peregrè proficiſci ſine Canonicis litteris, hoc eſt Commendatitijs, & Dimiſſorijs Epiſtolis, præſentes quoque Canones eadem decernunt, &c.* Rurſus autem, Dimiſſorias Formatis, tanquam ſpeciem generi ſubeſſe conuincitur ex Can. 26. Concilij Carthaginenſis, in quo ex Balſamonis contextu, Heruetique interpretatione ita habetur, *Epiſcopi trans mare non peregrinentur, niſi cum Decreto primæ Cathedræ proprij vniuſcuiuſque regionis Epiſcopi, hoc eſt niſi ab ipſo Primate acceperint eam, quæ dicitur Dimißoria, Formatam.* Sed operæ pretium erit ipſamet Græca Canonis verba adſcribere; ſic autem habent aqud Zonaram in ſua Canonum collectione can. 23. Concilij Carthaginenſis, ὁμοίως ἐπίσκοποι πέραν θαλάσσης μὴ ἀποδημείτωσαν, εἰ μὴ μετὰ ψηφίσματος τῆς πρώτης καθέδρας τοῦ ἰδίου ἑκάστης χώρας ἐπισκόπου, τουτέστιν, εἰ μὴ ἀπ' αὐτοῦ τοῦ πρωτεύοντος κατεξαίρετον λάβῃ τὴν (ἥτις λέγεται ἀπολυτικὴ) τετυπωμένην, ἢ τὴν παράθεσιν. Ad quem Canonem, *Non poteſt Epiſcopus*, in-

quit Zonaras, qui M. S. aſſeruatur in Bibliotecá noſtra Ambroſiana; lucemque videbit propediem Græce ac Latinè opera Antonij Salmatij viri doctiſsimi, ac Collegæ mei, *Canonicè proficiſci, niſi attulerit cauſam neceſſariam, & à Primate præcipuè acceperit eam, quæ dicitur Dimiſſoria, epiſtolam.* Idipſum de Commendatitijs ſtatuendum eſſe, Romani Ordinis ex cap. Qualiter Epiſcopus in Romana Eccleſia ordinetur, ſubiecta verba comprobant, *Optimè placuit Sanctæ Synodo, Epiſcopum*, recenter creatum, *ſine Formata ſuſcipi non debere*, à populo ſibi commiſſo, *ne obſcuram aut dubiam notam Ordinationis incurrat.* Fusè autem infra probauimus cap. de Commendatitijs ex Balſam. ad can. 33. Apoſtolorum, ad can. 11. & 13. Synodi Chalcedonenſis, ad can. 17. Synodi ſextæ in Trullo, & ad can 10. Synodi Septimæ, & ex Concilio Tridentino cap. 16. ſeſſ. 23. & ex alijs, Commendatitias litteras Clericis ob id etiam tribui ſolitas, vt eorum ordinatio declararetur, ac comprobaretur. Quin etiam Communicatorias Formatarum ſpeciem eſſe oſtendunt Auguſtini verba ex epiſtola 163. ſuperius allata, *Quærebam*, inquit Auguſtinus, *vtrum epiſtolas Cõmunicatorias, quas Formatas dicimus, poſſet quo vellem dare, & affirmabam, &c.* De Pacificis demum idem affirmandum eſſe colligitur

tur manifeſtè ex Zonara,& Balſamone,quorum ille, *Non permittit Canon*, inquit in Comment. ad can. 42. Synodi Laodicenæ, *ſine licentia proprij Epiſcopi,& litteris Canonicis quemquam à propria Eccleſia abire*, per Canonicas intelligens *Pacificas, & Cõmendatitias, quæ idcirco Canonicæ dicuntur,quia iuxta Canonem facta ſunt*. Balſamon autem ad can. 9. Synodi Sardicenſis, *Metropolitanus*,ait, *cum famulo ſuo,qui debet epiſtolas Canonicas afferre,ſcilicet Pacificas,& Commendatitias, docebit Epiſcopum, &c.* Maneat igitur, Canonicas, ſeu Formatas Epiſtolas reſpicere tanquam genus Cõmunicatorias, Dimiſſorias, Commendatitias, & Pacificas.

Quam concluſionem illud vnum videtur poſſe infringere, ac debilitare, quod in Appendice C. Eccleſijs diſtinct.68. in hæc verba habet Gratianus, *Epiſcopi Formatas tribuunt, Chorepiſcopi non niſi Commendatitias,et Pacificas dare valent*. Sed vel locus hic de Formatis omnibus accipiendus eſt,ita vt ille ſit horum verborum ſenſus,Epiſcopi Formatas quaſcunque poſſunt tribuere,Chorepiſcopi autem non niſi Commendatitias, & Pacificas; vel certè,quod magis placet,cum Gloſſatore dicendum eſt, deceptum in hoc Gratianum, *Licet*,Gloſſatoris verba ſunt ad eum Gratiani locum, *dicat Gratianus, quod Chorepiſcopi dare Commendatitias, & Pacifi-*

cas poterant, non credo, ſed ſolus Epiſcopus, vt habetur de conſecr.diſt.5.non oportet 71.diſtint. extraneo.

De Communicatorijs Epiſtolis. Cap. VII.

HOc loco de ijs Epiſtolis, quæ ſub Canonicis ſeu Formatis tanquam ſub genere continentur, rectè atque ordine mihi videor eſſe dicturus, ac primò quidem de Communicatorijs. Communicatoriæ, quæ à Latinis interdum Communicationis, Cōmunionis interdum litteræ, à Græcis τὰ κοινωνικὰ γράμματα, fuere non ſemel appellatæ, eæ dicebantur, quibus muniti olim Chriſti fideles quicunque peregrinaturi, Catholicos ſe ac Catholica proinde Communicatione dignos vbique terrarum probabant; & quarum commercio vniuerſæ Chriſti Eccleſiæ vnitas ſeruabatur ac monſtrari ſolebat. Hanc Communicatoriarum definitionem ſeu deſcriptionem antequam explicem ac ſtabiliam, vtile erit cognoſcere, quid olim fuerit in Chriſti Eccleſia Cōmunicatio Catholica, quidue Communio, & quot eius formæ; his enim intellectis, & Communicatoriarum nomen perſpicietur dilucidius, & res ipſa plenius cognoſcetur.

Communicatoriæ Epiſtolæ quæ.

Com-

Communicatio igitur Catholica nihil aliud erat, quàm indiuiduæ vniuerſæ Chriſti Eccleſiæ Vnio; ſeu Vinculum concordiæ in vna fidei conſenſione inſeparabiliter cohærentis inter Eccleſiæ caput ac membra. Hoc D. Cyprianus epiſt. 45. & lib. de vnitate Eccleſiæ diſertis verbis expreſsit. Comprobauit & D. Auguſtinus epiſt. 163. & Optatus Mileuitan. indicauit haud obſcurè lib. 2. aduerſus Parmenianum. Communicatam ſiquidem ab Eccleſiæ capite, Romano videlicet Pontifice, omnibus per orbem diffuſis Eccleſijs fidem participabant Eccleſiæ membra, hoc eſt vniuerſi Chriſti fideles. Qua vna fidei communicatione ac participatione, qui Catholici eſſent, quiue Hæretici, omnibus innoteſcebant. Is enim Catholicus abſque alia controuerſia cenſebatur, qui ſe Romanæ Eccleſiæ profitebatur communicare, ille vero conclamabatur Hæreticus, qui à Petri Cathedra probabatur eſſe diuiſus. Et ob hanc vnam cauſam conati ſunt ſemper Hæretici Romanæ Eccleſiæ Communicationem conſequi, quã, ſi non aliter poterant, dolo ſuffurabantur, quemadmodum ſcriptum eſt ab Irenæo lib. 3. cap. 4. Tertull. de Præſcript. aduerſus Hæreticos cap. 30. Cypriano epiſt. 30. & 55. Epiphanio Hæreſi 42. Optato Mileui. lib. 2. aduerſus Parmenian. & D. Aug. de Hæreſi c. 69.

Cõmunicatio Catholica quid.

Illud etiam in hac re prius ſciendum eſt, Tres olim in Eccleſia fuiſſe in vſu Communionis Formas, Communionem videlicet in Conuictu, Communionem in Precibus, & Communionem in Sacramento, vt interim de Laica, & Peregrina Communione taceam accuratè alibi diſcutienda. Communio in Conuictu ea dicebatur, qua Chriſtianis licebat ſanctorum fratrum conuictu ac couſuetudine vti: Communio in Precibus, qua in fundendis ad Deum precibus ſolemnibus, votiſque pijs, communis erat Chriſti fidelibus conuentus: Per Communionem demum in Sacramento liber patebat Catholicis acceſſus ad Euchariſtiæ ſacramenti vſum ac participationem: Ita vt Communio nihil aliud fuerit, quàm aut Conuictus, aut communium Precum, aut Euchariſtiæ ſacramenti non impedita participatio: Triplicem hanc Communionis Formam ijs verbis expreſsit Niceph. lib. 13. cap. 11. de Chryſoſtomo loquens, *Ille viros*, nempe Iſidorum, Dioſcorū, & alios à Theophilo ex Aegypto pulſos, *benignè acceptos in honore habuit*, ecce Communionem in Conuictu, *et ad cõmunes in Eccleſia preces adhibuit*, ecce communionem in Precibus, *ad Diuinorum autem myſteriorum Communionem non admiſit*, ecce tandem Communionem in Sacramento indicatam.) Meminerunt etiam

Commu nio olim triplex.

Commu nio in Cõ uictu.

Commu nio i Pre cibus.

Commu nio in Sa craméto.

So-

Socrates lib. 6. cap. 9. Sozomen. lib. 8. cap. 10. & Metafraſtes in vita Chryſoſtomi. Fortè etiam Tertullianus (non enim ſatis liquet) triplicem hanc Communionis Formam voluit indicare, cum dixit lib. de Præſcript. aduerſus Hæreticos cap. 20. *Communicatio pacis, Appellatio Fraternitatis, & Conteſſeratio Hoſpitalitatis*, per appellationem Fraternitatis intelligens (vt antiquitatis Eccleſiaſticæ ſtudioſus indagator Rhenanus adnotauit) ſalutationem, & conuictum; per Communicationem Pacis, conuentum in Eccleſia ad preces Deo fundendas, oſculumque Pacis dandum, & accipiendum; per Conteſſerationem demum Hoſpitalitatis, Euchariſtiæ participationem. Conſtat enim ex veterum monumentis, maiores noſtros peregrè aduenientibus hominibus probatæ fidei Corpus Domini mittere ſolitos fuiſſe: cuius moris plura poſſent ex veterũ libris teſtimonia proferri, ſed nos in aliam iam mente conceptam ſcriptionem differimus.

Huiuſmodi igitur litteræ, quantum ad vim nominis ſpectat, idcirco Communicatoriæ, ſeu Communionis, Communicationisve fuerunt appellatæ; tum quia, vt dictũ eſt, & infra probabitur, earum commercio indiuidua Catholicæ Eccleſiæ communio, fideique vnitas per totum terrarum orbem ſerua- Communicatoriarũ Nomen.

ſeruabatur, ac monſtrari ſolebat; tum etiam quia per eas licebat Chriſti fidelibus ſine erroris periculo in plebe aliena communicare, hoc eſt Fratrum conuictu, ac conſuetudine vti, ad communes in Eccleſia preces conuenire, & Euchariſtiæ ſacramenti vſu, ac participatione gaudere. Sed nimis multa de verbo, rem ipſam tandem diſcutiamus.

Duo ſunt ſupra poſitæ Communicatoriarum definitionis, ſeu deſcriptionis membra, iuxta duplicem, in quo olim ipſæ erãt, vſum apud Eccleſiæ Patres. Aut enim neceſſariæ erant peregrinaturis Chriſti Fidelibus quibuſcunque, quò liberè poſſent, ac ſine erroris periculo in aliena plebe communicare; aut neceſſarium erat earum cõmercium ad Eccleſiæ Catholicæ, hoc eſt per totum orbem diffuſę, vnitatem demonſtrandam, ac probandam. Prima neceſsitas, & vſus per primum definitionis membrum indicatur, per alterum altera.

Peregrinaturis Chriſtianis neceſſariæ oli Communicatoriæ.

Peregrinaturos igitur quoſcunque Chriſti Fideles, ſiue Clericos, ſiue Laicos, neceſſe olim habuiſſe ab Epiſcopo vnumquemque ſuo litteras Communicatorias accipere, quò tanquam Catholici, & Catholica Communicatione digni liberè poſſent, ac ſine erroris periculo in aliena plebe communicare, haud obſcurè indicant plerique Conciliorum Canones. Canone ſeptimo

Con-

Concilij Carthaginenſis primi, ita habetur, *Caſianus Vſulenſis Epiſcopus dixit, ſtatuat grauitas veſtra, vt vnuſquiſque Clericus, vel Laicus non communicet in aliena plebe ſine litteris Epiſcopi ſui; Gratus Epiſcopus dixit, Niſi hoc obſeruatum fuerit, Communio fiet paſſiua*, hoc eſt communis, & promiſcua, *nam ſi cum litteris receptus fuerit, & concordia inter ipſos Epiſcopos ſeruatur, & nemo ſubtilis alterius fugiens Communionem ad alterum latenter accedet: vniuerſi dixerunt, Omnibus prouides, & Clero, & Laicis conſulis*. Canone 52. Concilij Agatenſis conſtitutum fuit, vt Presbytero, aut Diacono, vel Clerico ſine Communicatorijs Antiſtitis ſui epiſtolis ambulanti, communionem nullus impenderet; hoc eſt, vt tanquam Catholica Communicatione indignus à Fidelium Communione ſegregaretur. Similiter Canone 25. Concilij Elyberini decretum fuit, vt ei qui Confeſsionis litteras afferret ſublato nomine Confeſſoris, Communicatoriæ darentur. Cum enim frequens tunc temporis eſſet earum Litterarum vſus, quibus Confeſſores, hoc eſt ij qui perſecutionis tempore pro Chriſtiani nominis Confeſsione detinebātur in carcere, ius Communicationis lapſis ab Epiſcopo impetrabant; cumque temerè id facerent complures Confeſſores, eaque licentia abuterentur quam plurimi

Lapſi (qua de re Cyprianus ſæpè conqueſtus eſt Epiſtolis ad Cornelium Papam, & alios datis) idcirco ſanctiſsimè conſtituerunt Patres in Elyberina Synodo congregati, vt pro huiuſmodi Confeſſorijs litteris acciperent Lapſi ab Epiſcopis Communicatorias, quibus nimirum Eccleſiæ reconciliati poſſent ſine errore, & fratrum conuictu vti, & ad communes Deo preces fundendas conuenire, & Sanctiſsimæ Euchariſtiæ participatione gaudere. Quod, & in 1. Arelatenſi Concilio Canone 9. fuit poſtea confirmatum, cuius verba ſunt, *De his, qui Confeſſorum litteras offerunt, placuit vt ſublatis ijs litteris alias accipiant Communicatorias*. Sed hæc clarius cum de Confeſſorijs litteris infra lib. 2. agemus. Huiuſmodi porrò Communicatorias, dum à peregrinis aduenientibus offerrentur, maxima cautione accipi ac diligenter examinari ſolitas fuiſſe ab ijs, quibus ea cura demandata erat, indicio eſt Canon 58. eiuſdem Cõcilij Elyberini, qui ſic habet, *Placuit vbicunque, & maximè in eo loco, in quo primæ Cathedræ conſtitutus eſt Epiſcopus, vt interrogentur hi, qui Communicatorias litteras tradunt, an omnia rectè habeant, & ſuo teſtimonio comprobent*.

Sed iam ad ſecundam definitionis partem tranſeamus, in qua Communicatoria-

rum

rum commercio Eccleſiæ Catholicæ vnitatem ſeruari ac probari ſolitam diximus. Arelatenſis Concilij primi cap. 7. conſtitutum fuit, *vt qui Fideles ad Præſidatum promoti fuerint, litteras accipiant Communicatorias, ita tamen, vt in quibuſcunque locis eas geſſerint, ab Epiſcopo eiuſdem loci cura de illis agatur, vt cum cœperint contra diſciplinam publicam agere, tunc demum à Communione excludantur*. Qua Diuina planè (inquit Baron. ad ann. Christi 314.) Eccleſiaſtica lege, Schiſmatici atque Hæretici à præfecturis cœterisque magiſtratibus penitus excludebantur; ob eam videlicet cauſam, quod per Communicatorias litteras omnibus innoteſcerent Apoſtolicæ ſedis Communicatores, & qui ab illa eſſent diuiſi. Idipſum abundè docet Optatus Mileuitanus lib. 2. aduerſus Parmenianum, vbi Romanorum Pontificum ſeriem enumerans à Petro vſque ad Damaſum (vt vult Balduinus ad hunc Optati locum, & Baronius ad ann. Chriſti 368. & in Notis ad Martyrologium Pridie Nonas Iunij, non autem à Petro vſque ad Syricium, vt perperam ipſe Optati contextus habet, à Librario quodam certiſſimè deprauatus) de Damaſo addit, *Cum quo nobis totus orbis commercio Formatarum in vna Communionis ſocietate concordat*. Per Formatas autem hic intelligi debere Commu-

Communicatoriarũ cõmercio Eccleſiæ vnitas demonſtrata.

mu-

municatorias ſupra probatum eſt. Diuus etiam Auguſtinus, vt Fortunium Donatiſtarum Epiſcopum erroris conuinceret, qui vbique terrarum eſſe Communionem ſuam aſſerebat, ſuamque Eccleſiam proinde iactabat eſſe Catholicam, hoc eſt per totum terrarum orbem in vna fidei conſenſione diffuſam, *Quærebam*, inquit epiſtola 163. ad Eleuſium, & ſocios, *vtrum Epiſtolas Communicatorias, quas Formatas dicimus, poſſet quo vellem dare, & affirmabam, quod manifeſtum erat omnibus hoc modo facilimè illam terminari poſſe quæſtionem*. Nouerat ſiquidem Auguſtinus, per huiuſmodi Epiſtolas, Chriſti Eccleſiæ vnitatem monſtrari ac probari ſolitam ſemper fuiſſe: Similiter epiſt. 162. dixerat, ſcripſiſſe ſe quidem ad nonnullos Donatiſtarum Epiſcopos litteras Priuatas, quales videlicet etiam ad Paganos dare licebat (de quibus nos 2. libro) non autem Communicatorias, quas nimirum Romanæ tantum ſedis Communicatores ad Eccleſiæ Catholicæ vnitatem probandam dabāt, & accipiebant, *Factum eſt*, inquit, *vt etiam ad nonnullos Donatiſtarum primarios ſcriberemus, non Communicatorias litteras, quas iam olim propter ſuam peruerſitatem ab vnitate Catholica, quæ toto orbe diffuſa eſt, non accipiunt, ſed tales Priuatas, qualibus nobis vti etiam ad Paganos licet*. Eandem veritatem

paulò-

paulòpoſt ſtabiliuit idem Auguſtinus dicens, *Erat etiam tranſmarinis vicina regionibus, & fama celeberrima nobilis*, Carthago, *vnde non mediocris vtique auctoritatis habebat Epiſcopum*, Cęcilianum, *qui poſſet non curare conſpirantem multitudinem inimicorum, cum ſe videret, & Romanæ Eccleſiæ, in qua ſemper Apoſtolicæ Catedræ viguit Principatus, & cæteris terris, vnde Euangelium ad ipſam Aphricam venit, per Communicatorias litteras eſſe coniunctum.*

Cæterum ob hanc vnam cauſam Romani Pontifices recenter creati Epiſcopis omnibus per orbem diffuſis, Electionem Ordinationemque ſuam huiuſmodi Communicatorijs ſignificare conſueuerunt, quemadmodum Gelaſius Papa huius nominis primus Epiſtola ad vniuerſos Dardaniæ Epiſcopos data teſtatur his verbis, *Vbi primum reſpirare fas eſt à continuorum tempeſtate bellorum, quæ vel in illis Prouincijs, vel in iſtis temporibus qualitas*, forte, temporum qualitas, *inceſſanter exercuit, cunctos per Dardaniam Domini Sacerdotes fraternæ ſolicitudinis charitate duximus alloquendos; primum, quia Regimen Apoſtolicæ Sedis adepti, ſtrepitu publico, ſicut dictum eſt, retardante, commiſſum nobis ſacræ diſpenſationis officium proprijs, vt mos erat, litteris nequiuimus indicare, quò veſtra Fraternitas de Communionis Domini nobiſcum*

Rom. Pōtifices electionem ſuā Epiſcopis omnibus Communicatorijs ſignificabant.

cum

Epiſcopi oës, Ro. Pontifici electioné Communicatoriјs gratulabãtur.

cum munere gratuletur etc. Ex quibus Gelaſij verbis illud etiam colligitur, Epiſcopos ipſos per totum orbem diffuſos, ad huiuſmodi Catholicam Communicationem, indiuiduamq́ue Eccleſiæ vnitatem probãdã, Romanis Pontificibus electionem, ordinationemq́ue Communicatorijs litteris gratulari conſueuiſſe. Cuius moris meminit etiam Cyprianus ep.42. ad Cornelium Pontificem Romanum recenter electum data, *Acceptis*, inquit, *litteris tam tuis quàm Collegarum noſtrorum, item aduentantibus bonis viris, & nobis chariſſimis Collegis noſtris Pompeio, & Stephano, à quibus hæc omnia nobis cum lætitia communi aſſeuerata ſunt firmiter, & probata*, illicitam nimirum fuiſſe Nouatiani ordinationem in Epiſcopum Romanum, legitimam autem ipſius Cornelij, *ſecundum quod Diuinæ traditionis, & Eccleſiaſticæ inſtitutionis ſanctitas pariter, ac veritas exigebat, litteras noſtras ad te direximus; ſed & per prouinciam noſtram hæc eadem Collegis ſingulis in notitiam perferentes, ab his quoque fratres noſtros cum litteris dirigendos eſſe mandauimus &c.* Et Epiſtol. 45. ad eundem Cornelium, *Placuit*, inquit, *vt per omnes omnino in iſta Prouincia poſitos Epiſcopos litteræ fierent, ſicuti fiunt, vt te vniuerſi Collegæ noſtri, & Communicationem tuam, ideſt Catholicæ Eccleſiæ vnitatem pariter, & charitatem*

pro-

probarent firmiter, ac tenerent. Idipſum etiam haud obſcurè expreſsit Bonifacius Epiſcopus litteris ad Zachariam Romanum Pontificem recenter electum datis, in quibus, *Confitemur*, ait, *Domine Pater, quia poſtquam per Nuncios referentes audiuimus; quod venerandæ memoriæ Apoſtolatus veſtri Prædeceſſor Gregorius Pontifex Apoſtolicæ Sedis, ergaſtulo corporis abſolutus ad Dominum migrauit, quod maiorem lætitiam, & maius gaudium nobis non audiuimus, & ſuſpenſis ad æthera palmis Deo gratias egimus, quàm quod clementem Paternitatem veſtram altiſsimus arbiter Canonica iura regere, & Apoſtolicæ Sedis gubernacula gubernare conceſsit: ergo non aliter; quàm vt ante, veſtigia veſtra geniculantes intimis ſubnixè flagitamus precibus, vt ſicut prædeceſſorum veſtrorum pro auctoritate Sancti Petri pietatis ſerui deuoti, & ſubditi diſcipuli fuimus, ſic & veſtræ pietatis ſerui obedientes, & ſubditi ſub Iure Canonico fieri mereamur, optantes Catholicam fidem, & vnitatem Romanæ Eccleſiæ ſeruando dilatare &c.*

Laici Princi-pes Catholici Romano Pontifici electionẽ Communicatorijs gratulabantur.

Porrò Laicos etiam Catholicos Principes omnes Romanis Pontificibus electionẽ, ordinationemque gratulari ſolitos fuiſſe ad huiuſmodi Communicationem Catholicam, Eccleſiæque vnitatem teſtandam, Symmachi Pontificis Romani Apologeticus aduerſus Anaſtaſium Imperatorem a-

bunđè docet, in quo ea verba leguntur, *Omnes Catholici Principes, ſiue cum Imperij gubernacula ſuſceperunt, ſiue cum Apoſtolicæ Sedis nouos agnoſcunt Præſules inſtitutos, ad eam ſua protinus ſcripta miſerunt, vt ſe docerent eius eſſe conſortes; itaque qui hoc non fecerunt, ab eadem ſe ipſos profitentur alienos, etc.* Vnde perſpicuum fit, ob eam quoque rationem laicos Principes Catholicos Romanis Pontificibus huiuſmodi Communicatorias dirigere conſueuiſſe, vt ſe ad Principatus, Imperijque faſtigium euectos oſtenderent, obedientiamque, & veram fidei conſociationem pollicerentur. Quamquam illud mihi perſuadeo, haſce Principum Laicorum Communicatorias nō eiuſdem fuiſſe formæ cum ijs, quas Epiſcopi dabant, licet ad eandem omnino Catholicam communicationem, Eccleſiæque vnitatem demonſtrandam eſſent omnes inſtitutæ, & vſurpatæ. Huius autem moris illud nunc quoque veſtigium apparet, quod Principes omnes Catholici ad Sedem Apoſtolicam oratores Legatosque ſuos tranſmittunt, quibus Romano Pontifici recenter creato Ciuitates, Prouincias, & Regna ſubijciunt, ſeque, & Catholicam Communicationem vehementer cupere, & Fidem Chriſtianam libenter profiteri teſtantur.

Laici Principes Catholici propriā ad Principatus faſtigiū euectio-né Rom. Pontifici ꝑ Cōmunicatorias ſignificabant.

Quin ipſos etiam Epiſcopos huiuſmodi

Com-

Communicatorias, veluti conſenſionis ſuæ, Catholicæque Communicationis ſymbola, vltro citroque mittere tunc ſolitos fuiſſe, cũ quis eorum Epiſcopus recenter creabatur auctor eſt Euſebius Hiſtor. Eccleſ. lib.7. cap.24. *Donnum*, inquiens, *Diuina certè, vt putamus prouidentia Epiſcopum deſignauimus, ac vos de eius electione per epiſtolam certiores fecimus, vt illi ſcribatis, & ab eo Litteras accipiatis Communionis*. Quod, & Niceph. Caliſt. lib.6.cap.30. de eodẽ Donno in Epiſcopum electo agens, ijs verbis tradidit, *Hoc ideo vobis ſcripſimus, vt ad eum Communionis litteras detis, & rurſum ab eo accipiatis, &c.*

Epiſcopi recenter creati vltrocitroq; Cõmunicatorias exarabãt.

De Dimiſſorijs. Cap. VIII.

DImiſſorias Epiſtolas Græci ἀπολυτικὰς nominarunt ἀπὸ τοῦ ἀπολύειν, quod eſt dimittere, Iuriſconſulti libellos Dimiſſorios, Apoſtolos, & Reuerentiales, ob eam cauſam, inquit Alciatus de Verborum ſignificatione l. C V I. quòd, qui illas afferunt, obſequij, & reuerentiæ aduerſus ſuperiorem teſtimonium præſtant; vnde, & Reuerendæ vocantur in Concilio Tridentino ſeſſ. 7. cap. 10. Erant autem Dimiſſoriæ epiſtolæ, quæ ex Antiſtitis voluntate ac dimiſsione oſtendebant, vel Laicum, vel

Dimiſſoriarum multiplex nomen.

Libelli Dimiſſorij.

Apoſtoli.

Reuerentiales.

Reuerendæ.

Dimiſſoriæ quæ.

Clericum, vel Epiſcopum in alienam Diœceſim tranſiturum; Laicum quidem, vt inibi ordinaretur; Clericum, vt vel ordinaretur, vel ordinatus ſacrificaret, vel in alienę Eccleſiæ cathalogum referretur; Epiſcopum demum, vt aut longius peregrinari poſſet, aut ad Comitatum proficiſci. De quibus ſingulis accuratius dicemus.

Dimiſſoriæ olim neceſſariæ ei, qui ab alieno Epiſcopo ordinari volebat.

Et primò, Laicis ac Clericis neceſſarias olim fuiſſe huiuſmodi litteras, quibus à proprio dimiſsi Epiſcopo, ab alieno poſſent ordinari, pleriſque Conciliorum Canonibus conſtitutum fuit. *Suggero ſanctitati veſtræ*, inquit Priuatus Vegeſelitanus Epiſcopus can. 5. Concilij Carthaginenſis primi, *vt statuatis non licere Clericum alienum ab alio ſuſcipi ſine litteris Epiſcopi ſui, neque apud ſe retinere; nec Laicum vſurpare ſibi de plebe aliena, vt eum ordinet, ſine conſenſu Epiſcopi, de cuius plebe eſt; Gratus Epiſcopus dixit, Hæc obſeruantia pacem cuſtodit, nam, & memini in Concilio Sãctiſſimo Sardicenſi ſtatutum, vt nemo alterius plebis hominem vſurpet, ſed ſi fortè erit neceſſarius, petet à Collega ſuo, & per conſenſum habeat*. Concilij autem Sardicenſis verba ſunt ea Canone 18. *Ianuarius Epiſcopus dixit, Illud quoque ſtatuat ſanctitas veſtra, vt nulli Epiſcopo liceat alterius Epiſcopi ciuitatis miniſtrum Eccleſiaſticum ſollicitare, & in ſuis Parochijs ordinare; vniuerſi dixerũt, Placet,*

Placet, quia ex his contentionibus ſolent naſci diſcordiæ, & ideo prohibet omnium ſententia, ne quis hoc facere audeat. Gratianus quoque diſtinct. 71. cap. 3. idem comprobat ex Concilio Nicæno cap. 16. *Si quis*, inquit, *auſus fuerit aliquem, qui ad alterum pertinet, in ſua Eccleſia ordinare, cum non habeat conſenſum illius Epiſcopi, à quo receſſit Clericus, irrita ſit huiuſmodi ordinatio.* Quod, & ante eum Iuo Quinta Parte ſui Decreti cap. 212. ex eodem Concilio Nicæno prodiderat in hæc verba, *Si quis Epiſcopus Clericum ad alium locum pertinentem audacter inuadere, & in ſua Eccleſia ordinare tentauerit, non conſentiente Epiſcopo à quo diſceſſit, Ordinatio huiuſmodi irrita comprobetur.* Similiter & Pariſienſis Concilij cap. 32. id decretum fuiſſe memorat Burchardus lib. 1. cap. 107. *Epiſcopus*, inquiens, *non conſtituat Presbyteros aut Diaconos alteri ſubiectos Epiſcopo, niſi cum conſilio, & voluntate ipſius; ſi quis autem tale aliquid agere tentauerit, irrita ſit eius ordinatio.* Huc etiam pertinet Concilij Chalcedonenſis caput 20. in quo ita eſt, *Clericos in ſuis Eccleſijs conſtitutos non licere in alterius Ciuitatis Eccleſijs ordinari, ſed adquieſcere in ea, in qua ab initio miniſtrare meruerunt; exceptis illis qui proprias Ciuitates perdiderunt, & ex neceſſitate ad alias Eccleſias migrauerunt.* Accedat, & Innocentij Papæ huius

nominis primi auctoritas, qui in Epiſtola ad Victricium Rothomagenſem Epiſcopum ita ſcribit; *De aliena Eccleſia Clericum ordinare nullus præſumat, niſi eius Epiſcopus precibus exoratus concedere voluerit.* Ex quo loco ſatis intelligitur, huiuſmodi Dimiſſorias ab Epiſcopis non niſi rogatis ac poſtulatis concedi conſueuiſſe. Quod, & Gratianus ex Leone Papa admonuit diſtinct. 72. cap. 1. in hæc verba; *Epiſcopus ſubiecto ſibi ſacerdoti, vel alij Clerico, niſi ab ipſo poſtulatus, Dimiſſorias non faciat.*

Dimiſſorias non niſi rogati dabant Epiſcopi.

Eos quoque neceſſe habuiſſe proprij Epiſcopi Dimiſſorijs muniri, qui in aliena plebe cupiebant ſacrificare, auctor eſt Theodorus Balſamon in Commentarijs ad Canonem 33. Apoſtolorum, vbi, *Alijs*, inquit, *Canonibus cauetur, vt licet Commendatitias litteras habeant Clerici, & de fide rectè ſentiant, Dimiſſorias tamen litteras ſuorũ Epiſcoporum eos oſtendere oportere, alioqui ſacris non operaturos; per Commendatitias enim litteras eos eſſe ſacratos probatur; licere autem ijs in aliena terra ſacrificare, non ex ijs, ſed ex Dimiſſorijs litteris oſtenditur.* Quod, & ante expreſſerat ad Canonem 15. Apoſtolorum his verbis, *Nota, quod non ſolum Commendatijs litteris Clerico opus eſt volenti in aliena Diœceſi agere, & quæ ſunt Clerici exercere, ſed etiam Dimiſſorijs litteris Epiſcopi, qui eum*

Dimiſſoriæ ei neceſſariæ, qui in aliena plebe volebat ſacrificare.

fecit

fecit Clericum, niſi enim huiuſmodi litteras oſtendat, prohibetur ab operatione. Rurſuſque repetit ad can. 108. Synodi Carthaginenſis in hæc verba, *Nota, quod qui ſine Commendatitijs, & Dimiſſorijs litteris in aliena regione ſacrificant, erunt excommunicati, ideſt prohibebuntur celebrare.* Eandem inſuper Dimiſſoriarum neceſsitatem deſignauit idem Balſamon ad can. 10. Synodi ſeptimæ, dum Conſtantinopolitanum Patriarcham alieno Clerico ex priuilegio concedere poſſe affirmat, vt ſine proprij Epiſcopi Dimiſſorijs in vrbe Conſtantinopoli ſacrificet, *Nota*, inquit, *quod ſoli Patriarchæ Conſtantinopolitano permiſſum eſt, Clericos alienos ſuſcipere etiam ſine Dimiſſorijs litteris eius qui ipſos ordinauit, ſi modo litteras Commendatitias attulerint, quibus ſe ordinatos, & clericos eſſe probent; quamobrem rite concedet Sanctiſſimus huius temporis Patriarcha alieno Clerico in hac vrbium Regina ſacrificare ſine Dimiſsorijs litteris eius, qui illum ordinauit.* Accedat, & Matthæi Blaſtaris auctoritas (aſſeruantur eius opera Grecè ac Latine M. S. in Bibliotheca Ambroſiana) qui in Commentarijs ad Canonem 33. Apoſtolorum de hac re ita ſcribit, *Oportet Clericum peregrinari volentem duas afferre epiſtolas, Commendatitiam videlicet, & Abſolutoriam,* Abſolutoriam vertit Interpres hic anonvmus pro eo, quod

Dimiſſoria appellatur etiã Abſolutoria.

alij dixerunt Dimiſſoriam, & ἀπολυτικὴν habet Græcus contextus, *vt altera quidem in Commendationem vtatur de ipſius integritate fidei, & de irreprehenſibili vita, itemque de eius ſacerdotali gradu; altera vero,* abſolutoria nimirum, *vtatur ad id, vt ſine impedimento ei liceat in alia Eccleſia celebrare, &c.* Quod æquè apertè expreſſerat paulò ſuperius, *Abſolutoriæ,* inquiens, *ſunt, quæ demonſtrant ſecundum ſententiam Principis ſacerdotum, cõceſſam eſſe Epiſcopo vel Clerico tranſmigrationem, & etiam illic ipſos ſine impedimento Sacerdotalia exercere:*

Etiã ei, qui alieno Clero connumerari cupiebat

Amplius, & ijs neceſſarias fuiſſe proprij Epiſcopi Dimiſſorias litteras, qui in alienæ Eccleſiæ Cathalogum referri, alteriq; Clero connumerari deſiderabant; decretum eſt canone 17. Synodi in Trullo habitæ, cuius verba ſunt, *Quoniam diuerſarum Eccleſiarum Clerici, proprijs in quibus ſunt ordinati relictis Eccleſiis, ad alios Epiſcopos ſe contulerunt, & ſine proprij Epiſcopi ſententia in alienis Eccleſiis conſtituti ſunt, ſtatuimus, vt à menſe Ianuario præteritæ Indictionis nullus omnino Clericus in quocunque ſit gradu poteſtatem habeat ſine proprij Epiſcopi ſcripta Dimiſſoria in alienæ Eccleſiæ Cathalogum referri.* Ad quẽ Canonem, *Sæpius,* inquit Balſamon, *diximus quod omni Clerico duas ſcripturas afferre opus eſt eius qui eum ordinauit, Commendatitiam ſcilicet,*

licet, & Dimiſſoriam, vt illa quidem vtatur ad comprobationem illius gradus, qui ei ineſſe dicitur, hac vero, vt citra vllum impedimentum ab alia Eccleſia in Clerum cooptetur. Quod antea etiam docuerat ad Canonem 16. Apoſtolorum, *Nota*, inquiens, *quod præſens Canon ſegregat Epiſcopum, qui ſuo Clero connumerauit alterius Diœceſis Clericum abſque ſui Epiſcopi Dimiſſorijs litteris*. Id ipſum Matthæus quoque Blaſtares loco ſupra citato tradit in hæc verba, *Oportet Clericum peregrinari volentem duas afferre epiſtolas, Commendatitiam videlicet, & Abſolutoriam, vt altera quidem in Commendationem vtatur &c. altera vero,* hoc eſt Dimiſſoria, *vtatur ad id, vt ſine impedimento ei liceat in alia Eccleſia celebrare, & in Clero ipſius connumerari*. Sed & Sardicenſis Concilij Canone 15. Oſio Epiſcopo ſuggerente, ita conſtitutum fuit; *Hoc quoque omnino definiamus, vt ſi quis Epiſcopus ex alia Parochia velit alienum miniſtrum ſine conſenſu proprij Epiſcopi in aliquo gradu conſtituere, irrita, & infirma huiuſmodi conſtitutio exiſtimetur; Omnes dixerunt, Hoc quoque Decretum ſtet firmum; & immobile*. Quam ſanè Conſtitutionem cernentes negligi, aut intermitti, vt credibile eſt, Patres in Concilio Carthaginenſi tertio congregati, prędeceſſorum ſuorum veſtigijs inſiſtentes, rurſus ſtabilierunt; ſic enim in Canone 21. ſcri-

ptum

ptum eſt, *Clericum alienum, niſi concedente eius Epiſcopo*, per Dimiſſorias nimirum, *nemo audeat, vel retinere, vel promouere in Eccleſia ſibi tradita*. Atque eo ſenſu Gratiani Gloſſator ad cap. 4. diſtinct. 78. *Dimiſſorias* eas eſſe dixit, *quibus quis eximitur à Iuriſdictione ſui Epiſcopi*. Cuius exemptionis formulam colligere, licet ex ijs Dimiſſoriarum exemplis, quæ ſupra attulimus ex Iuone 6. parte cap. 435. Burchardo lib. 2. cap. 227. & Gratiano diſtinct. 73. capit. 1. in quibus ita habetur, *Ego N. humilis Epiſcopus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, & in Vnitate Sanctæ Eccleſiæ, in qua Petro datum eſt ius ligandi, atque ſoluendi, abſoluo Presbyterum N. de Ciuitate N. Indictione N. & licentiam do vobis N. inthronizandi eum in quacunque Eccleſia vultis veſtræ Parochiæ.*

Formula Exéptionis à proprij Epiſcopi Iuriſdictione.

Ipſis demum Epiſcopis longius peregrinaturis, aut ad Comitatum proficiſci volentibus, hoc eſt Regem, vel Imperatorem adire, neceſſarias fuiſſe Primatum, aut Eparchiæ, ideſt Prouinciæ Epiſcoporum, & Romani interdum Pontificis Dimiſſorias litteras, certiſsimum eſt. Carthaginenſis ſiquidem Concilij tertij Canone 28. ita Patres cauerunt, *Epiſcopi trans mare non proficiſcantur, niſi conſulto primæ ſedis Epiſcopo, ſuæ cuiuſque prouinciæ, vt ab eo præcipuè poſſint ſumere Formatam &c.* Per Formatam autem

Dimiſſoriæ neceſſariæ Epiſcopis longius peregrinaturis, aut ad Comitatum proficiſcentibus.

tem hic intelligi debere Dimiſſoriam, patet ex ipſo Grȩco contextu à Zonara capit. 23. & à Balſamone cap. 26. Synodi Carthaginenſis allato, cuius verba ſunt, *ὁμοίως ἐπίσκοποι πέραν θαλάσσης μὴ ἀποδημείτωσαν, εἰ μὴ μετὰ ψηφίσματος τῆς πρώτης καθέδρας τοῦ ἰδίου ἑκάστης χώρας ἐπισκόπου, τουτέστιν, εἰμὴ ἀπ' αὐτοῦ τοῦ πρωτεύοντος κατεξαίρετον λάβῃ τὴν (ἥτις λέγεται ἀπολυτικὴ) τετυπωμένην, ἢ τὴν παράθεσιν*. Hoc eſt, *Similiter Epiſcopi trans mare non peregrinentur, niſi cum Decreto primæ Cathedræ proprij vniuſcuiuſque regionis Epiſcopi, ideſt, niſi ab ipſo Primate præcipuè acceperint eam, quæ dicitur Dimiſſoria, Formatam, & Expoſitionem*. Ad quem Canonem, *Epiſcopus*, inquit Zonaras, *niſi probauerit cauſam neceſſariam, & à Primate præcipuè acceperit eam, quæ dicitur Dimiſſoria, epiſtolam, non poteſt Canonicè proficiſci*. Et mox, *Præcipuè à Primate*, ait, *habetur in Canone, quoniam licet præclarum ſit, vt in altero Canone dictum eſt, Epiſcopum vnumquemque peregrinaturum ab omnibus Eparchiæ Epiſcopis epiſtolas habere, præcipuè tamen, ideſt propriè, à Primate eum habere oportet Dimiſſoriam Formatam, & Exponentem; Formantem videlicet, & exprimentem, neceßariam eße profectionem ipſius; vel Formatam; ideſt ſignatam, & ſubſcriptam; Exponentem vero, ideſt ipſum cognoſcere facientem ijs ad quos proficiſcitur, & de ipſo declarantem*

rantem quæ ad ipſum pertinent. Quæ omnia Balſamon à Zonara mutuatus, ſicut pleraque alia; ita perſtringit ad Canonem 26. eiuſdem Synodi ex Herueti interpretatione, *Cum audis Canonem dicentem, cum Decreto, ſeu cognitione Primatis, ſeu Metropolitani debere Epiſcopum peregrè proficiſci, ne dixeris eius, vel ſolam cognitionem ſufficere, ſed & vniuerſæ eius Synodi eſſe ad hoc neceßariam ſententiam; propterea enim Canoni adijcitur illud, ſed præcipuè Primatis.* Et ſubdit, *Formata autem, ſeu Expreſſoria dicta eſt Dimiſſoria Epiſtola, vtpote quæ vel neceſſariam exprimat Epiſcopi peregrinationis cauſam, vel obſignationem, & ſubſcriptionem Primatis habere debeat; eadem autem Expoſitio dicta eſt, vt quæ ijs, ad quos vadit, peregrinatum eſſe Epiſcopum exponat, & quæ ad eum pertinent ſignificet, & probet.* Vnde perſpicuum fit, cur Dimiſſoria à Scriptoribus Expreſſoria interdum, interdum Expoſitio appelletur. Quamquam quod attinet ad Formatæ Etymon, quod hoc loco traditur, hallucinatum eſſe Zonaram, & ex eo Balſamonem ex ſupradictis ſatis conſtat. Similiter Aphricani Concilij Canone 73. ita conſtitutũ fuit, *Placuit, vt quicunque ad Comitatum ire voluerit, in Formata,* Dimiſſoriam intellige, tum ex ijs quæ ſuperius dicta ſunt, tum quia Græcus huius Canonis contextus apud Zonaram

Dimiſſoria interdum Expreſſoria, Expoſitio interdũ appellata.

ram, & Balſamonem ἀπολυτικὴν, ideſt dimiſſoriam ſemper habet, vbi Latinus Formatam, *quæ ad Vrbis Romæ Eccleſiam mittitur, intimetur, vt inde etiam ad Comitatum Formatam accipiat; quod ſi accipiens Romanam tantummodo Formatam, & tacens neceſſitatem quæ ad Comitatum illius peragenda eſt, voluerit etiam ad Comitatum pergere, à Communione remoueatur.* Hunc Canonem 73. Concilij Aphricani Zonaras facit 108. & Balſamon 109. Concilij Carthaginenſis, in cuius interpretatione hæc habet idem Zonaras, *Et alij Canones varij ſtatuunt, non licere Epiſcopis abſque epiſtolis Dimiſſorijs Primatum, & Synodi illius Eparchiæ ad Regem ſe conferre; hic autem Canon amplius aliquid decernit, nempe Dimiſſorias illas Epiſtolas Pontifici Romano eſſe exhibendas, & ab illo alias ad Comitatum accipiendas.* Balſamon autem compendiosè, *Præſens*, inquit, *Canon decernit, cum litteris Dimiſſorijs Primatis, ſeu Metropolitani proficiſci Epiſcopos in Comitatum, vbi videlicet eſt Comes, vel Imperator.* Quin etiam Burchardus citat Synodi Antiochenæ Canonem 11. quo remouentur à Communione, & dignitatis gradibus pelluntur quicũque ſine Metropolitani, & Epiſcoporum Prouinciæ litteris Dimiſſorijs ad Comitatũ proficiſcuntur, *Si quis Epiſcopus*, inquit lib. 2.cap.177.*preter Conſiliũ, & litteras Epiſcopo*

rum

rũ Prouinciæ, & præcipuè Metropolitani, adierit Imperatorem, hunc reprobari, & abijci oportere non ſolum à Communione, verum etiam ab honore, cuius particeps videtur exiſtere, quia venerandi Principis auribus moleſtiam tentauit inferre contra leges Eccleſiæ, ſi igitur adire Principem neceſſaria cauſa depoſcit, hoc agatur cum tractatu, & Conſilio Metropolitani, & cæterorum Epiſcoporum, qui in eadem prouincia commorantur, qui etiam proficiſcentem ſuis proſequentur litteris. Hac de re qui plura ſcire deſiderat, legat Balſamonis Commentaria ad Canonem 7. 8. 21. Synodi Sardicenſis, & ad Canonem 11. Synodi Antiochenę.

De Commendatitijs. Cap. IX.

OMnino tres ob cauſas tribuebant antiquitus Epiſcopi Cõmendatitias litteras. Tradebãt primo peregrinaturis quibuſcũque, ſiue Clericis, ſiue Laicis, vt huiuſmodi Epiſtolis tanquam Hoſpitalitatis teſſera muniti, vbiq; terrarũ ab æquè Catholicis benignè exciperentur hoſpitio. Deinde Clericis ad eorum Ordinationem comprobandam, ac declarandam. Poſtremò ignotis hominibus, aut ſuſpectis, vt eos, vel notos redderent, vel iniuſtè accuſatos, crimine ſolutos, vel pœnis tandem liberatos oſtenderent. De quibus ordine dicemus.

Vt

Vt autem magis intelligatur id quod primo loco poſui, placet illud adnotare.

Hoſpitij neceſſitudo olim per Teſſerã contrahebatur.

Moris Ethnicorum fuiſſe, vt qui neceſsitudinem Hoſpitij volebant contrahere, teſſeram quandam inciderent, hoc eſt lignum longiuſculum vtrinque exæquatum, & complanatum, cuius dimidiatam partem, tanquam hoſpitalis fœderis contracti notam, atque pignus ijs traderent, à quibus excipi cupiebant, alteram ſibi reſeruantes, vt ſi opus eſſet, vel ipſos, vel ipſorum poſteros (tranſibat enim Hoſpitij neceſsitudo etiã ad Hæredes, & Poſteros, ideoque teſſera illa curiosè aſſeruabatur) eodem vti hoſpitio, dimidiata illa prolata teſſera, continuò poſſent à fœderatis agnoſci, comiterque, ac benignè excipi. Cuius moris Euripidis Scholiaſtes in Medea meminit his verbis, οἱ ἐπὶ ξενούμενοι τισὶν ἀστράγαλον κατατέμνοντες, θάτερον μὲν αὐτοὶ κατεῖχον μέρος, θάτερον δὲ κατελίμπανον τοῖς ὑποδεξαμένοις, ἵνα εἰ δέοι πάλιν αὐτοὺς, ἢ τοὺς ἐκείνων ἐπιξενῶσται πρὸς ἀλλήλους, ἐπαγόμενοι τὸ ἥμισυ ἀστραγάλιον, ἀνενεοῦντο τὴν ξενίαν, Hoc eſt, *Qui hoſpitio excipiebantur ab aliquibus, teſſeram diuidentes, alteram quidem partem ſibi reſeruabant, alteram vero ijs relinquebant, à quibus erant excepti; vt ſi opus eßet, vel ipſos, vel ipſorum poſteros eodem rurſus vti hoſpitio, dimidiatam illam teßeram proferentes, ius Hoſpitij renouarent.* Hinc Hanno Poenus

apud

apud Plautum in Pœnulo, cum Antidamo hoſpite eſſet vſus, apud Agoraſtoclem Antidami filium adoptiuum diuertere non dubitauit, nam

Deũ, inquit, *Hoſpitalẽ, ac teſſerã mecũ fero,*

Et poſtea idem Pœnus ipſum Agoraſtoclem ſibi ignotum affatus, aït,

Ego hic Hoſpitium habeo, Antidami filium
Quæro,

cui cum Agoraſtocles reſpondiſſet, ſe illum ipſum eſſe, quem quæreret, dicit ille,

ſi ita eſt, Teſſeram
Conferre ſi vis Hoſpitalem, eccam attuli.

cui Agoraſtocles,

Agedum huc oſtende, eſt par probè.

Pœnus igitur,

O mi hoſpes ſalue multũ, nã mihi tuus pater,
Pater tuus hoſpes Antidamus fuit,
Hæc mihi Hoſpitalis teſſera cum illo fuit,

cui Agoraſtocles,

Ergo hic apud me Hoſpitium tibi præbebitur,
Nam haud repudio Hoſpitium &c.

Cœterum plura hac de re ſcire deſideranti, legendi ſunt Budęus in Adnotationibus reliquis ad Pandectas, Gulielmus Stuchius Antiquitatum Conuiualium lib. 1. cap. 27. & Iacobus Nicolaus Loenſis lib. 4. Miſcellaneorum Epyphillorum cap. 19.

Profanum hunc Ritum, quemadmodum pleroſque alios (de quibus alius ſpero dabitur

bitur dicendi locus) ab Ethnicis tranſtulerunt Chriſtiani, ac religioſum fecerunt, peregrinaturi ſiquidem Commendatitias litteras ab Epiſcopis accipiebant, quibus prolatis, tanquam Hoſpitali teſſera data, agnoſcebantur continuò à Catholicis, & veluti fœderati vbique comiter ac benignè Hoſpitio excipiebantur. Cuius ſanè obſeruationis, vt ab Apoſtolis per manus traditæ, Collector Canonum Apoſtolicorum Canone 32. meminit his verbis, *μηδένα τῶν ξένων ἐπισκόπων, ἢ πρεσβυτέρων, ἢ διακόνων ἄνευ συστατικῶν, προσδέχεσθαι*, ideſt, *Nemo peregrinorum Epiſcoporum, aut Presbyterorum, aut Diaconorum ſine Commendatitijs ſuſcipiatur litteris.* Quod de Laicis etiam æquè apertè expreſsit Auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 2. cap. 58. *Si aliquis*, inquit, *Frater aut ſoror aduenerit, qui Commendatitias afferant, accedat Diaconus, & inquirat, an fideles ſint, an Eccleſiaſtici, num Hæreſi quapiam contaminati*, & hinc refellitur Baronius, dum per vnius eiuſdemque ſigni circumlationem ac oſtenſionem Chriſti fideles affirmat fuiſſe olim vbique, & cognitos tanquam legitimos Catholicæ Eccleſiæ filios, & Hoſpitio benignè exceptos, *ac rurſus ſoror, nuptane an vidua ſit, atque ita cum cognouerit fideles planè eſſe, & in doctrina Domini idem atque nos ſentire, deducat*

Commēdatitię Epiſtolæ peregrinis olim Chriſtianis Hoſpitalis teſſeræ loco.

ſingulos eorum ad locum eis accommodatum. Huc pertinet, quod Tertullianus ait lib. de Præſcriptione aduerſus Hæreticos cap.20. *Conteſſeratio Hoſpitalitatis*, ad quæ verba, *Eleganter*, ait Rhenanus, *nouator vocabulorum Tertullianus à Teſſera verbum finxit Conteßerare, vnde Conteſſeratio, quæ ſignificat coniunctionem familiariorem per ſignum factam, nam Teſſera apud Veteres ſignum erat Hoſpitale, quod qui oſtendebat ſtatim agnoſcebatur, &c.*

Cõmen-datitiæ litterę Iuliani Apoſtatæ tempore vſurpa-tę.

Porro morem hunc in Eccleſia longa ſœculorum ſucceſsione conſtanter retentum inuenio, nam D. Gregorius Nazianzenus in vſu id Iuliani Apoſtatæ temporibus fuiſſe tradit; oratione ſiquidem prima in Iulianum, *Diuerſoria*, inquit, *& hoſpitales domos ædificare, Monaſteria item, & Virginum Cænobia inſtituebat*, Iulianus, *ſimulque humanitatem ac benignitatem erga pauperes adiungere, cùm in alijs rebus, tùm in Commendatitijs epiſtolis ſitam, quibus eos, qui inopia premuntur, ex gente ad gentem tranſmittimus.* Ad quem Nazianzeni locum Elias Cretenſis, *Noſtram*, ait, *erga egentes benignitatem per fucum, & ſimulationem imitari cogitabat*, Iulianus, *benignitatem inquam noſtram, tam quæ in alijs rebus verſatur, quam quæ in Commendationibus ijs, quæ per epiſtolas fiunt, ſita eſt: ſolemus enim hoſpites, qui be-*

nigni-

nignitate indigent, ex vna vrbe, & regione in aliam vrbem, & regionem tranſmittere, eoſque ijs, qui miſericordiæ muneribus fungi, atque ipſorum inopiam ſubleuare poſſunt, commendare: nam in noſtris rebus hæc maximè mirabatur Iulianus, eaque de cauſa hæc quoque ad æmulandum ſibi proponebat, vt hac ratione quibuſdam impoſturam faceret. Idipſum tradidit etiam Sozomenus lib. 5. cap. 15. in hæc verba; *Dicitur præterea*, Iulianus, *imitatus eſſe in primis formulas litterarum Epiſcopalium, quibus ſolebant ſe inter ipſos certiores facere de peregrinis, quò proficiſcerentur, vnde veniſſent; vt tanquam noti atque adeo amici propter ſigni teſtimoniū Hoſpitio exciperentur, diligenterque curarentur.* Et Nicephorus lib. 10. cap. 21. *Eodem*, inquit, *ſtudio æmulari conatus eſt*, Iulianus, *Commendatitiarum litterarum Teſſeras, quas Epiſcopi dare ſolent, vt vndecunque, & ad quoſcunqne hinc, & inde Hoſpites aduenia‌nt, moribus noſtris excepti benignè curentur, perinde atque noti, & amici per Teſſeræ, & ſigni eius teſtimonium.* Paulus quoque Diaconus Hiſtor. Miſcell. lib. 11. in Iuliano, *Præcipuè vero*, ait, *zelatus dicitur*, Iulianus; *notas litterarum Epiſcopalium, quibus ſolent alterutris ſcribentes commendare peregrinos, & vbi proficiſcuntur, & à quibus veniunt modis omnibus indicare, & ſolatia promereri, tanquam noti,*

& amici ſint, teſtimonio directi ſignaculi. Ex quibus Nazianzeni, Sozomeni, Nicephori, Eliæ, & Pauli locis, illud primum colligo, Commendatitias litteras loco Teſſeræ ac ſigni Hoſpitalis paſsiuitus olim in Eccleſia vſurpatas fuiſſe; deinde adulteratas etiam quãdoque ab Hæreticis ac deprauatas. Quod vltimum non de Commendatitijs tantum, ſed de cœteris etiam Formatis factum fuiſſe, diximus ſupra ex Attico Conſtantinopolitano Epiſcopo.

Per Commendatitias, Clericorum ordinatio demõſtrata.

Clericis præterea tributas fuiſſe ab Epiſcopis Commendatitias litteras ad eorum Ordinationem declarandam ac comprobandam, auctor eſt Blaſtares ad Canonem 33. Apoſtolorum, cuius ipſamet verba promam, *Commendatoriæ*, ait, *quidem ſunt, quæ Clericis ad alteram Ciuitatem tranſeuntibus dantur ab Epiſcopis, qui ipſos elegerunt, commendantes ſiue notificantes, vel ipſorum Sacerdotij gradum, vel, &c.* Et paulò poſt, *Oportet*, inquit, *Clericum peregrinari volentem duas afferre epiſtolas, Commendatitiam videlicet, & Abſolutoriam, vt altera*, Commendatitia nimirũ, *in Commendationem vtatur de ipſius integritate fidei, & de irreprehenſibili vita, itemque de eius ſacerdotali gradu, &c.* Quod, & tradidit Balſamon nõ vno in loco, veluti ad Canonem 11. Synodi Chalcedonenſis; vbi, *Commendatoriæ ſcripturæ*, inquit, *dicuntur*

tur quæ dantur Clericis ab ijs, qui eos ordinarũt Epiſcopis, eos commendantes, ac eorum Ordinationem declarantes. Et ad Canonem 13. eiuſdem Synodi ait, *Alij dixerunt, Canonem de Commendatitijs litteris loqui, quæ dantur accuſatis hominibus, qui poſt examinationem innocentes inuenti ſunt, mihi autem videtur hic Canõ de Litteris Cõmendatitijs definire, quæ Clerici Ordinationẽ declarant.* Quod idẽ prius expreſſerat ad Canonem 33. Apoſtolorum in hæc verba, *Alijs Canonibus cauetur, vt licet Commendatitias litteras habeant,* Clerici, *& de fide rectè ſentiant, Dimiſſorias tamen litteras ſuorum Epiſcoporum eos oſtendere oportere, alioqui ſacris non operaturos; per Commendatitias enim litteras eos eſſe ſacratos probatur, &c.* Rurſuſque repetit ad Canonem 17. Synodi ſextæ in Trullo inquiens, *Sæpius diximus, quod omni Clerico qui foris ordinatus eſt, duas ſcripturas afferre opus eſt eius qui eum ordinauit, Commendatitiam ſcilicet, & Dimiſſoriam, vt illa quidem vtatur ad comprobationem illius gradus, qui ei ineſſe dicitur, hac vero, &c.* Et ad Canonem 10. ſynodi ſeptimæ, *Nota*, inquit, *quod ſoli Patriarchæ Conſtantinopolitano permiſſum eſt, Clericos alienos ſuſcipere etiam ſine Dimiſſorijs litteris eius qui ipſos ordinauit, ſi modo litteras Commendatitias attulerint, quibus ſe ordinatos, & Clericos eſſe probent.* Huc etiam

pertinet Concilij Tridentini caput 16. ſeſsionis 23. in quo ita eſt, *Nullus Clericus peregrinus ſine Commendatitijs ſui Ordinarij litteris ab vllo Epiſcopo ad diuina celebranda, & ſacramenta adminiſtranda, admittatur.* Quomodo enim fieri potuiſſet, vt peregrinantes Clerici ex Commendatitiarũ oſtenſione ad diuina celebranda admitterentur, niſi per ipſas Commendatitias eorundem Ordinatio appareret?

Suſpectis & ignotis traditæ olim Cómendatitiæ.

Suſpectis demum, ac ignotis hominibus tradebantur Commendatitiæ Epiſtolæ, quibus aut innoteſcerent, aut iniuſtè accuſati, crimineue ſoluti, aut pœnis tandem liberati apparerent. Conſtat id manifeſtè ex epiſtola 2. Diui Pauli ad Corintheos cap. 3. *Nunquid egemus*, ait D. Paulus, *ſicut quidam Commendatitijs epiſtolis ad vos, aut ex vobis? Epiſtola noſtra vos eſtis ſcripta in cordibus noſtris, quæ cognoſcitur, & legitur ab omnibus hominibus.* Ad quem locum Theophylactus, *Pſeudoapoſtolos*, inquit, *tectè capit, qui cum proprijs ſuis operibus non poſſent inclareſcere, Commendatitias fingentes Epiſtolas ad quoſcunque vellent perferebant, quibus ita commendabantur, & innoteſcebant.* Et mox, *Num igitur dicat aliquis, quod oporteat nos Epiſtolas Commendatitias adferre ad vos, vt per ipſas vobis manifeſtemur, aut rurſum ex vobis ad alios? Quod feciſſent litteræ commendantes nos, &*

hone-

honeſtos, uenerabileſque reddentes; hoc ipſum vos facitis, dum alij uos uident: proinde cum uos habeam epiſtolam me alijs commendantem, non indigeo aliorum epiſtolis ad uos, per quas innoteſcam ignorantibus me: porro cum uos in mente mea ſitis, non opus habeo, ut alij me uobis prædicent, ad ignotos enim Commendatitijs litteris opus eſt, non ad cognitos. Sed & Chalcedonenſis Concilij Canone 11. de huiuſmodi epiſtolis ita Patres cauerunt, πάντας τοὺς πένητας, καὶ δεομένους ἐπικουρίας, μετὰ δοκιμασίας, ἐπιστολίοις ἤ εἰρηνικοῖς ἐκκλησιαστικοῖς ὁδεύειν ὡρίσαμεν, καὶ μὴ συστατικοῖς, διὰ τὸ τὰς συστατικὰς ἐπιστολας προσήκειν τοῖς οὖσιν ἐν ὑπολήψει μόνοις παρέχεσται προσώποις; Id eſt, pro vt illum Latio donatum nobis Heruetus reliquit, *Omnes pauperes, & qui auxilio indigent, cum examinatione, & Epiſtolis, ſeu Pacificis Eccleſiaſticis ſolis viam ingredi ſtatuimus, & non cum Commendatitijs, quoniam litteras Commendatitias ijs ſolis perſonis, quæ ſunt ſuſpectæ, præberi oportet.* Veram autem, ac germanam eſſe hanc Herueti verſionem, non ipſius modo Græci contextus impreſsi, & manuſcripti verba conuincunt, ſed & Zonaræ, & Balſamonis Commentaria in hunc eundem Canonem; Is ſi quidem, *Commendatitiæ,* inquit, *Epiſtolæ dicuntur, quæ traduntur Clericis, vel Laicis ſegregatis, vel omnino ignotis in aliam vrbem proficiſcentibus, eoſque*

illius Ciuitatis Epiſcopo conciliant, tanquam impoſitis pœnis liberatos: Vel cum alicui crimen obiectum eſt, in quo ſe vacare culpa penitus oſtenderit, & datur Epiſtola ipſum ei concilians, ad quem miſſus eſt, & oſtendens iniuſtè accuſatum fuiſſe. Balſamon autem, *Commendatitiæ Scripturæ*, ait, *dicuntur & eæ, quæ dantur Clericis ſegregatis, & ijs qui alioqui fuerunt in non bona exiſtimatione &c.* Vnde perſpicuum fit, adulterinam, & falſam omnino eſſe primam, & ſecundam huius Canonis interpretationem, que in tertio Conciliorum tomo legitur; male ſi quidem pro eo, quod Heruetus vertit, *Litteras Commendatitias ijs ſolis perſonis, quæ ſunt ſuſpectæ, præberi oportet;* prima habet, *Commendatitias litteras honoratioribus tantummodo perſonis præſtare conuenit.* malè etiam ſecunda, *Commendatitias epiſtolas eos tantum accipere conuenit, qui in opere ſunt clariores.* ὑπόληψις enim ſuſpitionem ſemper, nunquam honorem ſignificat. In quo haud mirum, falſos deinde Burchardum Decretorum lib. 2. cap. 143. & Iuonem 6. parte ſui Decreti cap. 216. quippe qui primam Canonis trãslationem ſecuti ſunt; *Omnes,* aiunt, *pauperes, & indigentes auxilio, cum proficiſcuntur, ſub probatione, epiſtolis vel Eccleſiaſticis Pacificis tantummodo commendari decreuimus, & non Commendatitijs litteris, propterea quod Commendatitias litteras*

hono-

honoratioribus tantummodo præſtari perſonis conueniat. Verum in eo ſenſu accipiendum omnino Canonem hũc 11. Concilij Chalcedonenſis iterum apertè indicat Balſamon ad canonem 13. eiuſdem Concilij cum ait, *Alij dixerunt Canonem (13) de Commendatitijs litteris loqui, quæ dantur accuſatis hominibus, qui poſt examinationem innocentes inuenti ſunt &c.* Subdit autem, *Commendatitiæ enim quæ ad tollendam ſuſpicionem dantur, etiam Laicis præbentur*. Cuius rei Zonaras etiam rurſus teſtis adduci poteſt, etenim ad Canonem 12. Apoſtolorum, *Commendatitiæ*, inquit, *Epiſtolæ ſunt, quæ dantur Clericis aut Laicis, ab aliorum commercio ſeparatis, aut ignotis hominibus*. Hic autem obiter aduerte, inſcitè Quintinum Hæduum pro, *ignotis*, tranſtuliſſe, *lectoribus*; vocum Græcarum affinitate deceptum, pro ἀγνώστοις enim, ideſt *ignotis*, legit ipſe ἀναγνώσταις, ideſt *lectoribus*, aut dic textum illius deprauatum fuiſſe, atque ita reſtituendum, *in aliam Ciuitatem abeuntibus, ipſos illius Epiſcopo loci commendãtes, tanquam omni ſolutos reprehenſione, & fideles exiſtentes &c.* Et ad Canonem 32. *Commendatitia*, inquit, *Epiſtola eſt, quæ mouet accuſationes aliquas, & in ſicophantiam redarguit, & contra quem illatæ ſunt, minimè probari potuiſſe teſtificatur*. Et iterum ad Canonem 13. Concilij Chalcedonenſis, *Ex eo*, ait, *quod hic*

Com-

Commendatitiæ Epiſtolæ ſit mentio, facilè apparet, eos, qui à ſua parœcia recedebant, Clericos, reos alicuius criminis eſſe factos; Commendatitiæ enim dabantur ab Epiſcopis, cum accuſati liberationem culpæ, aut ſegregati veniam errati demum impetraßent. Cuius rei Matthæus quoque Blaſtares teſtimonium dat ad Canonem 33. Apoſtolorum, *Commendatoriæ*, inquiens, *ſunt quæ Clericis ad alteram Ciuitatem tranſeuntibus dãtur ab Epiſcopis, qui ipſos elegerunt, commendantes ſiue notificantes, vel ipſorum Sacerdotij gradum, vel quod ſanam fidem colunt, aut accuſatione contra ipſos orta, vel calumnia, quæ fruſtra redarguta fuerit, integritatem aduerſa ſententia teſtificantes, quod innocentes exiſtunt.* Et mox, *Dantur autem, & Laicis excommunioni ſubiectis, & cũ ad alienã patriã opus eſt ipſos diſcedere, cõmendantes Epiſcopo illius Patriæ, quod iã à vinculo cẽſurarũ ſoluti sũt.* Et ad Canonẽ 11. Synodi 4. *Pauperibus*, ait, *qui ad Eccleſiã accedunt, auxiliumque precantur, Pacificas Epiſtolas dari oportere dicit, non autem Commendatitias; has enim ſolis perſonis, quæ in ſuſpicione ſunt conuenit dari, vt pote quę ſuſpicionem, quæ de ipſis eſt, commendatione auferant.*

Extremum illud erit, quod tamen prius eſſe debuerat, Commendatitias, ſeu Commendatorias litteras à Græcis *συςατικὰς* fuiſſe appellatas, quod vocabulum Latinè lo-

quen-

quentibus Conciliatrices ſonat, *Cõciliantes*, inquit Zonaras ad Canonem 9. Synodi Sardicenſis, *eum qui mittitur, tanquam nimirum iniuſtè accuſatum, crimineue ſolutum, aut pœnis liberatum.* Et ob id Teſtimoniales etiam à Latinis interdum nuncupatas fuiſſe arbitror. Vnde illuceſcit, quod Burchardus lib. 2. Decretorum cap. 235. ex Concilio Cabillonenſi cap. 41. ſcribit, *Presbyterum proprio loco dimiſſo ad alium migrantem nequaquã recipiendum eſſe, niſi ſuæ migrationis cauſam dixerit, & ſe innocenter vixiſſe in Parochia, in qua ordinatus eſt, ſub teſtibus,* commendatitijs nimirum, ac teſtimonialibus litteris *probauerit*. Viaticum etiam quandoque dictas fuiſſe huiuſmodi litteras certum eſt, ob eam rationem, quod qui ijs munitus peregrinabatur, tanquam perpetuis viæ ſumptibus, & ad iter impendijs inſtructus, comiter vbique à Catholicis, vt ſupra docuimus, excipiebatur Hoſpitio. Vnde Lucianus in eo Dialogo, quem περὶ τῆς περεγρίνȣ τελευτῆς inſcripſit, *Suſcepta*, inquit de eodem Peregrino loquens, *ſecunda peregrinatione egreditur vagaturus, ſatis ſibi Viatici in Chriſtianis repoſitum eſſe exiſtimans.* Erat autem Peregrinus hic, Impoſtor quidam ficte Chriſtianus, qui, ne egeret, quin vt abũdaret ex Chriſtianorum liberalitate, ac benignitate, deſcribitur à Luciano, Chriſtianorum

Commẽdatitiarũ nomen multiplex. Conciliatrices. Teſtimoniales.

Viaticũ.

norum accerimo hoſte, per ea tempora peregrinatus ſub nomine Peregrini, Peregrini ſpecie, & habitu; quem non modo benignè complexi ſunt Chriſtiani, omnibuſque humanitatis officijs confouerunt, ſed & collata vberrima ſtipe locupletarunt. Ex quo & effuſiſsimum Chriſtianorum Hoſpitalitatis ſtudium colligitur, & penè conuincitur, ſuffuratum illum à Catholicis ad hunc effectũ Commendatitias litteras; quemadmodum de Communicatorijs factitaſſe pleroſque Hæreticos, deſertoremque Iulianum ipſasmet Commendatitias adulteraſſe ſupra admonuimus.

De Pacificis. *Cap. X.*

Franciſci Turriani ſententia de Pacificis.

FRanciſcus Turrianus vir doctus lib. 3. pro Epiſtolis Pontificum cap. 4. eas asſerit dictas fuiſſe Pacificas, ſeu Pacis litteras, quibus Romanus Pontifex approbabat Eccleſiarum, ad quas eas mittebat, fidem, communionem, ac ſocietatem. Earum autem exemplum, vt afferat, ſubijcit Leonis epiſtolam 40. ad Anatolium Conſtantinopolitanum, vbi, *Gaudemus*, inquit Leo, *in Domino, & in dono gratiæ ipſius gloriamur, quia ſicut Dilectionis tuæ litteris, & fratrum noſtrorum, quos Conſtantinopolim miſeramus, relatione cognouimus, ſequacem te Euangelicæ*

erudi-

eruditionis oſtendis, vt per Sacerdotis probabilem fidem meritò præſumamus, quod tota Eccleſia eidem credita neque rugam cuiuſquam erroris ſit habitura, neque maculam. Et paulo poſt, *Societatem dilectionis tuæ amplectimur.* & in fine, *Caſterium, Presbyterum, Patritium, & Aſclepiadem Diaconos, qui ad nos tua ſcripta detulere, cum epiſtolis noſtris emiſimus, indicantes nos, vt ſupra diximus, de Conſtantinopolitanę Eccleſiæ pace gaudere, cui hanc curam ſemper impendimus, vt eam velimus nulla Hęreticorum fraude violari.* Atque vt ſententiã ſuam magis ſtabiliat, Tertulliani verba ſubiungit lib. aduerſus Praxeam cap. primo, quo loco, *Idem tunc*, ait Tertull. de Praxea loquens, *Epiſcopum Romanum agnoſcentem iam Prophetias Montani, Priſcæ, & Maximillę, & ex ea cognitione pacem Eccleſijs Aſiæ, & Phrygiæ inferentem, falſa de ipſis Prophetis, & Eccleſijs eorum aſſeuerando, & præceſſorum eius auctoritates defendendo, coegit, & litteras Pacis reuocare iam emiſſas, & à propoſito recipiendorum chariſmatum conceſſare.* Quem Tertulliani locum explicans ipſe Turrianus, *Irrepſerat*, ait, *principio credulitas in mentem Pontificis ex falſa relatione, quaſi verę eſſent illorum Prophetiæ*, Montani videlicet, Priſcę, & Maximillæ, *donec narrante Praxea rem ipſam, per chariſma diſcretionis ſpirituum cognouit Pontifex, non eſſe iſtorum Prophetias ex*

ijs, de quibus Apoſtolus dixit, Prophetias nolite ſpernere; ex quo factum eſt, vt Pontifex, qui ad Eccleſias Aſiæ, & Phrygiæ litteras Pacis prius miſerat, poſtea reuocaret. Et ſubdit, *erant enim, & dicebantur litteræ Pacis, quibus Epiſcopus Romanus approbabat Eccleſiarum, ad quas eas mittebat, fidem, communionem, ac ſocietatem, &c.*

Turriani ſententię refutatio.

Verum ſi rem iudicio certo ponderemus, eaque meminerimus, quę ſupra de Communicatorijs diximus, ſtatuemus profectò, litteras haſce, quas Pacificas, ſeu Pacis ex Tertulliano vocat Turrianus, re ipſa Communicatorias eſſe; ob idque ſolum Pacis nomine à Tertulliano appellatas fuiſſe, quod ex huiuſmodi Communione, fideique vnitate, ac conſenſione inter Eccleſiæ caput, ac membra ſoleat Pax ipſi Eccleſiæ prouenire. Idque vnum exprimit illa Leonis ad Anatolium Epiſtola. Theophylus certè Alexandrinus Epiſcopus in hoc eodem ſenſu Pacificas appellauit eas Communicatorias, quas veluti conſenſionis Chriſtianæ, Catholicæque Communicationis Symbola vltro citroque mittere tunc Epiſcopos cōſueuiſſe ex Euſebio, & Nicephoro ſupra docuimus, cum quis eorum recenter creabatur Epiſcopus, *Salutant vos omnes*, inquit Theophylus epiſtola prima Paſchali, *qui mecum ſunt fratres, & hoc neceſſario ſcribimus,*

vt

vt ſciatis pro ſanctis, & beatis Epiſcopis, qui in Domino dormierunt, ordinatos eſſe in Lemnado pro Herone Naſeam, in Erythro pro Sabatio Paulum, in Omboes pro Syluano Verrem; his ergo ſcribite, & ab ijs accipite Pacificas iuxta Eccleſiaſticum morem Epiſtolas, Epiſtola autem tertia ſimiliter Paſchali (quæ omnes à Sancto Hieronymo in Latinum conuerſæ habentur in Bibliotheca Veterum Patrum) Eccleſiaſticas appellat idem Theophylus, quas prima dixerat Pacificas, *Salutant vos fratres*, ait, *qui nobiſcum ſunt, & hoc noſſe debetis, pro defunctis Epiſcopis, in locis ſingulorum conſtitutos*, ſic enim emendo pro eo, quod, *conſtitutis*, legebatur, *in vrbe Nichio pro Heopempto Theodoſium, in Terenuthide Arſinthium, in oppido Geras pro Eudemone Pirozum, in Acheis pro Apolline Muſeum, in Atriuidi pro Iſidoro Athanaſium, in Cleopatride Offellum, in oppido Lathon pro Timotheo Appellem, ijs ergo ſcribite, & ab eis iuxta morem Eccleſiaſticas ſuſcipite litteras.*

Pacificæ itaque litteræ, à Grecis εἰρηνικαὶ appellatæ, eæ dicebantur, quibus Epiſcopi pauperibus iniquè oppreſsis, cœteriſque quoquomodo auxilio indigentibus, eaque de cauſa ad Eccleſiã confugientibus pacem adferebant ac conciliabant. Chalcedonenſis Concilij Canone 11. ita conſtitutum fuit, *Omnes pauperes, & qui auxilio indigent, cum* Pacificæ litterę quæ.

exa-

examinatione, & Epiſtolis, ſeu Pacificis Eccleſiaſticis viam ingredi ſtatuimus. Quem Canonem explicans Blaſtares, *Pauperibus* ait, *qui ad Eccleſiam accedunt, auxiliumque precantur, Pacificas Epiſtolas dari oportere dicit, &c.* Zonaras autem ad eundem Canonem, *Pauperibus,* inquit, *ac ope indigentibus, eaque de cauſa ad Eccleſiam confugientibus, Pacificas dari Epiſtolas Canon præcipit; requirebatur enim ab Epiſcopis, vt patrocinium ſuſciperent confugientium ad Eccleſiam Pauperum, pupillorum, & viduarum, ſi quando potentiorum opibus premerentur, vel iniuſtè paterentur aliquid, aut rebus ſuis fraudarentur; idque tantoperè conuenire exiſtimabatur, vt cum ad Regem, vel Imperatorem precibus fatigandum ſui commodi cauſa prohiberentur Epiſcopi, ad eos tamen, qui ad Eccleſiam ſupplices confugiebant ſubleuandos, exilione aut alia quauis damnationis pœna liberandos, fieret facultas aut ipſis abeundi, aut Diaconos mittendi.* Et mox, *Qui igitur quoquomodo præſidio indigebant, ijs litteræ ab Epiſcopis tradebantur, opem auxiliũque afferentes, & Pacificæ vocabantur, quaſi Pacem conciliantes ijs, qui ob Principum iracundiam, vel potentiorum libidinem iniquo iudicio damnabantur.*

Hoc porrò Pacificarum uſu paulatim abrogato, veſtigium tamẽ illud eius in Eccleſia longa annorum ſerie remanſit, quod

pro

pro miſeris omnibus, & oppreſsis ad Eccleſiæ opem confugientibus, non ſcripto iam ſed voce apud potentiores intercedebant Epiſcopi. Docet id Gregorij Magni epiſtola 38. libri 8. ad Ianuarium Epiſcopum Caralitanum, cuius ea eſt Inſcriptio, *De oppreſſionibus minorum à maioribus, & de ijs qui ad Eccleſiam confugiunt.* Ait autem Gregorius, *Qualiter in Sardinia, minores, vel pauperes ab ijs, qui illis maiores ſunt, opprimuntur, Reuerentiſsimi fratris noſtri Dominici Carthaginenſis Epiſcopi, atque eminentiſsimi filij noſtri Innocentij Præfecti epiſtolæ teſtantur, à quibus, vt quæ nobis ſcripta ſunt noueritis, ipſarum vobis epiſtolarum exemplaria prouidimus traſmittenda. Et ideo quia ea quæ petenda ſunt, offeruntur, ſtudioſè agendum eſt, vt ea quæ promittuntur, opere compleantur. Si qui eorum, de quibus eſt quæſtio, in Eccleſiam fortaſſe refugerint, ita debet cauſa diligentia veſtra diſponi, vt nec ipſi violentiam patiantur, nec ij qui dicuntur oppreſsi damna ſuſtineant. Curæ ergo veſtræ ſit, vt eis ſacramentum ab ijs, quorum intereſt, de ſeruanda lege, & iuſtitia promittatur, & per omnia commoneantur exire, atque ſuorum actuũ reddere rationem, quibus etiam Eccleſiæ veſtræ defenſorem deputare vos conuenit; cuius ſollecitudine ea, quæ illis fuerint promiſſa ſeruentur, quatenus nec alijs noxia ſint, & ipſis*

Intercedebant olim Epiſcopi ꝓ miſeris, & oppreſſis ad Eccleſiam confugiẽtibus.

Item pro ſeruis. *Eccleſiaſtica ſalua ratione poſſint prodeſſe refugia, &c.* Sed maximè pro ſeruis, qui ad Eccleſiam confugiebant, vt vel declinarent pœnam, vel ius obtinerent, intercedere olim conſueuerunt Epiſcopi, nec ante licebat eos abduci, quàm de impunitate, aut iuſtitia à Dominis cautum eſſet Sacramento: quo dato ſtatim iubebantur ſerui ad obſequium redire, ne viderentur ab Eccleſia, cum Dominorum fraude retineri. Concilij primi Aurelianenſis canone 5. ita conſtitutum fuit, *Seruus qui ad Eccleſiam confugerit pro qualibet culpa, ſi à Domino pro admiſſa culpa Sacramentum ſuſceperit, ſtatim ad ſeruitium Domini ſui redire cogatur; & poſtea quam, dato Sacramento, Domino ſuo fuerit conſignatus, ſi aliquid pœnæ pro eadem culpa, qua excuſatur, probatus fuerit pertuliſſe, pro contemptu Eccleſiæ, & præuaricatione fidei à communione, & conuiuio Catholicorum extraneus habeatur; ſi verò ſeruus pro culpa ſua ab Eccleſia defenſatus, Sacramenta Domini Clericis exigentibus de impunitate perceperit, exire nolentem à Domino liceat occupari.* Quam Eccleſiaſticam deprecandi, ac intercedendi pro ſeruis conſuetudinem, etiam ex Ennodij Ticinenſis Epiſcopi Epiſtola 7. lib. 1. colligere licet, cuius ea verba ſunt, *Ante aliquid temporis pueri duo*, mancipia paulo ante eos appellarat, *qui ſibi à præfato aſſe-*

rebant

rebant inferri violentiam, ad opem ſe Eccleſiæ ſub interpellatione publica contulerunt; preces adhibuiſſe memini; vt circa eos, quod defunctus voluit, ſeruaretur: auditurum ſe deceptioſis, & blandis promiſit illecebris. Vt ad obſequium reuerterentur, ad quod deputati fuerant, Sancto Epiſcopo Patre veſtro præſente qui eisdem præbebat auxilium, ſub notitia ciuitatis hortatus ſum; quid poſtea euenerit, ignoraui &c. Huiuſcemodi autem deprecationes, quas pro miſeris, & oppreſsis apud potentiores adhibere conſueuiſſe Epiſcopos diximus, certo, ac proprio vocabulo, *Interceſsiones*, fuere nuncupatæ, vt adnotauit eruditiſsimus vir Iacobus Sirmondus Soc. Ieſu ad Ennodij epiſtolam 36. libri 8. Ennodius in vita Epiphanij Epiſcopi itidē Ticinenſis, *Erat*, inquit de Epiphanio loquens, *in eodem ſermo ad doctrinam congruus, fabricatus ad blanditias, ad Interceſsiones iam tunc artifex.* Et paulo poſt, *Domum taliter regebat Eccleſiæ, vt nec profuſione immoderata commiſſum penum exhauriret, nec odia ſordenti parcitate contraheret; Interceſsionum etiam tunc certamina proludebat, nam vbicunque pro remedijs miſerorum Epiſcopi mittebatur imperio, tanta exigebat beneficium arte ſupplicandi, vt ſentirent ſibi in cauſis profuiſſe complurimi, ipſum per ſe Epiſcopum non veniſſe.* Vnde perſpicuum fit, ipſorum qui-

Interceſſiones Eccleſię.

dem Epiſcoporum, vt dixi, maximè proprium fuiſſe huiuſmodi deprecationes, ac interceſsiones adhibere; ſed & alijs nonnumquam fuiſſe id muneris ab ipſismet Epiſcopis aſsignatum. At Interceſsionum meminit iterum magis aperte idem Ennodius ibidem in hæc verba, *Interceſsionum tantam ſibi propoſuit curam*, Epiphanius, *vt ipſam ſe miſeris inferre crederet moleſtiam, quam per negligentiam à quibuscũque permiſiſſet inferri.*

Pacificę litterę dictæ eę omnes, quæ Pacem quoquomodo gignebant.

Cœterum Epiſtolas omnes, ex quibus Pax quoquomodo, aut gignebatur, aut confirmabatur, aut conciliabatur, Pacificas, ſeu Pacis litteras appellatas fuiſſe, ex pluribus ſcriptorum locis colligitur. Blaſtares ad Canonem 33. Apoſtolorum ita ſcribit, *Pacificæ litteræ dictæ fuerunt, quod tales litteras Clerico perferente ad quem vadit fieri non liceat, vt infringantur vincula, quæ ad Pacem diuinæ Charitatis coniungunt.* Diuus Athanaſius epiſtola ad ſolitariam vitam agentes de ijs litteris loquens, quas ipſemet de exilio reductus, Eccleſiæque ſuæ reſtitutus, in ſimbolum Pacis, & Concordiæ ab Alexandrinis acceperat, dederatque, *Erat*, inquit, *in Eccleſia profunda, & admirabilis Pax, inuicem vndecunque Athanaſio ſcribentibus, ijſdemq; ab Athanaſio Pacis, & tranquillitatis litteras accipientibus; quin Vrſacius, & Valens, quaſi à ſua ipſorum conſcientia flagellati,*

pœni-

pœnitentiam profeſſi ſunt, litteraſque amicas, & pacatas miſerũt &c. Ex quo apparet, appellatas etiam fuiſſe huiuſmodi Epiſtolas, *Amicas*, *Pacatas*, & *Tranquillitatis litteras*. Quin Euagrius libro 3. cap. 13. & 14. Zenonis Epiſtolam illam, qua Pacem Alexandrinis conabatur impiè conciliare, ἑνωτικὸν, hoc eſt, *Vnitiuum*, *ſeu Conciliatricem* epiſtolam, *Concordia*que ac *Pacis* litteras appellat. Ac de ijs quidem, quæ ad Canonicas, ſeu Formatas pertinent, hactenus; ad reliquas nunc Eccleſiaſticas Epiſtolas tranſitum faciamus.

Pacificæ nuncupatæ Amicæ, Pacatæ, & Trãquillitatĩs litteræ.

Vnitiuũ. Conciliatrices, Concordiæ, ac Pacis litteræ.

DE ANTIQVO ECCLESIASTICARVM EPISTOLARVM GENERE.

De reliquis Eccleſiaſticis Epiſtolis Liber Secundus.

De Tractorijs. Caput Primum.

QVONIAM quæ ad Canonicarum, ſeu Formatarum cognitionem generatim, ac ſingulatim pertinebant, abundè libro ſuperiore expoſuiſſe mihi videor, ad reliquas Eccleſiaſticas Epiſtolas noſtra ſe conuertet oratio. Atque vt à Tractorijs initium faciam, fuit primò Tractoria Iuris vocabulum (quemadmodum poſt Franciſcum Balduinum ad Optatum Mileuitanũ adnotarunt Barnabas Briſſonius de verb. ſignific. verbo Tractoriæ, Iacobus Cuiacius ad tit. 51. lib. 12. Codic. Iuſtinian. & alij) diplomata, ſeu litteras publicæ euectionis præbitionisque ſignificans; quæ nimirum dabantur miſsis, vel euocatis ab Imperatore, vt & curſu publico vti poſſent, & ſtatiua haberent, hoc eſt diuerſoria, & manſiones,

Tractoria quid apud I.C.

ſiones,

ſiones, in quibus ſumptu publico alerentur. *Iis etenim*, inquit Cuiacius, *quos euocabat, aut mittebat Imperator, non tantum equorum publicorum copia dabatur, ſed & viaticum, totiusque itineris ſumptus ſuppeditabantur*. Extat lib. 8. Codici Theodoſiani tit. *de Tractorijs, & Statiuis*, qui tit. habetur etiam lib. 12. Codic. Iuſtinianei, ſic enim cum Briſſonio, & Cuiacio emendandus eſt hic locus, in quo perperam, ac mendosè, *de Tractatorijs, ac ſtatutis*, legebatur. Refert ibidem præterea interpres, & ex eo Cuiacius fragmentum cuiuſdam Edicti Cõſtantini Magni, in quo fit mentio Tractoriarum, & Euectionis publicæ dandæ Cœciliano Carthaginenſi Epiſcopo, alijsque tam Catholicis, quàm Donatiſtis Epiſcopis. Quod edictum, ſeu potius Epiſtolam ad Ablauium Præfectum Prætorio datam (Aelaſium appellat Ioannes Fileſacus libr. de ſacra Eporum auctoritate §.20.) de cogẽdo Concilio Arelatenſi ꝓpter ipſius Cœciliani cauſam, ex Petri Pithœi Bibliotheca integram nobis ſuppeditat Baron. tomo 3. ad ann. Chriſti 314. & ex eo Seuerinus Binius ad Concilium Arelatenſe primum. Cuius Epiſtolæ nos quoque partem illam ſubijciemus, quam huc pertinere arbitrabimur. *Quare*, inquit Conſtantinus, *cum nimium haſce diſſenſiones* (inter Catholicos vi-

delicet, & Donatiſtas Epiſcopos; *protrahi peruiderem, ita vt nullomodo finis ijſdem dari poſſe videretur, niſi & Cæcilianus idem, & ex his, qui contra eum diſſident, tres aliqui in iudicium eorum, qui contra Cæcilianum ſentiunt, conſenſumque debent, ad Arelatenſe oppidum venirent, iniungendum ſolertiæ tuæ duxi, vt mox, ac litteras meas acciperes, tam Cæcilianum ſupradictum, cum aliquibus ex his, quos ipſe delegerit, ſed & de Bizacenæ, Tripolitanæ, Numidiarum, & Mauritaniarum, & prouincijs ſingulis, quique aliquantos ex ſuis perducere debebunt, quos ipſi putauerint eligendos, ſed etiam aliquos ex his, qui contra eundem Cæcilianum diſſentiunt, data Euectione publica per Africam, & Mauritaniam, inde ad Hiſpanias breui tractu facias nauigare, & inde nihilominus ſingulis Epiſcopis ſingulas Tractorias tribuas, vt ipſi ad ſupradictum locum intra diem kalendarum Auguſtarum poſſint peruenire, &c.* Hactenus ex Conſtantini Epiſtola; in qua ſanè quaſi lumē aliquod elucet Cōſtātini humanitas, ac pietas, dū Tractorias nō Catholicis tātū Epiſcopis, ſed Schiſmaticis etiā, ijs videlicet q ex parte Donati contra Cœcilianum conuenturi erant, concedi à Proconſule iubet. Extat etiam inter Eccleſiaſticas Caroli Magni, & Ludouici Pij leges ab Anſegiſo Abbate collectas, caput 30. lib. 4. in quo certæ pœnæ

ijs

ijs conſtituuntur, qui Tractorias deſpexerint, *Si quis*, inquit Imperator, *litteras noſtras deſpexerit, id eſt Tractoriam, quæ propter miſſos recipiendos dirigitur, aut honores quos habet amittat, aut in eo loco, vbi prædictos miſſos ſuſcipere debuit, tandiu reſideat, & de ſuis rebus legationes illuc venientes ſuſcipiat, quouſque animo noſtro ſatisfactum habeat*. Ex quibus perſpicuè liquere arbitror, & cur darentur, & quàm magni æſtimarentur huiuſmodi litteræ. Quod vltimum ex eo etiam licet colligere, quod abſque ipſius Imperatoris aſſenſu nequaquam à Proconſulibus dari conſueuerunt Tractoriæ, quemadmodum Plinij ad Traianum epiſtola 121. libri 10. docet, in qua excuſat ſe Plinius, quod vxorem ſuam inconſulto Traiano ob urgentem itineris celeritatem *Tractoria* adiuuerit, ſic enim *Diploma* rectè interpretantur nonnulli. Formulam porrò Tractoriæ hanc locis citatis afferunt exactiſsimi totius antiquitatis Indagatores Briſſonius, & Cuiacius, *Ille Princeps omnibus agentibus in illo loco, Nos illuſtrem Virum N. partibus illis Legationis cauſa direximus, ideo iubemus, vt locis conuenientibus eidem à vobis euectio ſimul, & humanitas miniſtretur, hoc eſt Verbedi, ſiue Parauerbedi tot, panes tot, vini mod. tot, ceruiſiæ mod. tot, lardi libr. tot, carnis tot, porci tot, porcelli tot, verueces tot, agni tot, anſeres tot, phaſiani*

Tractoriæ Formula apud I.C.

phaſiani tot, pulli tot, oua tot, olei libr. tot, gari libr. tot, mellis tot, aceti tot, cinnamomi tot, granis maſticis tot, dactylæ tot, pyſtaciæ tot, amigdalæ tot, ceræ libr. tot, ſalis tot, olerum, leguminum carra tot, faculæ tot, pabuli equorum carra tot. Hæc omnia tam eundo quàm redeundo eidem miniſtrari in locis ſolitis, & impleri ſine mora procurate. Hucuſque Cuiacius ex Marculphi Monachi libro. Briſſonius vero ex antiquo Codice M. S. exemplum ſuæ Tractoriæ his verbis concludit, mutatis etiam aliquibus rebus in ea deſcriptis, *Hæc omnia diebus tam ad ambulandum, quam ad nos in Dei nomine reuertendum vnuſquiſque veſtrum per loca conſuetudinaria eidem miniſtrare, & adimplere procuretis, quatenus nec moram habeat, nec iniuriam perſerat, ſi gratiam noſtram optatis habere.* Habetur quoque manifeſtum huius Formulæ veſtigium in Capitularibus Caroli Magni, & Ludouici Pij paulo ante citatis lib. 4. cap. 73. cuius inſcriptio eſt, *de Diſpenſa miſſorum Dominicorum.* Hic fuit primus Tractoriæ vſus, hæc Forma, quam tamen pro dignitate ac numero perſonarum auctam, vel imminutam fuiſſe rebus in ea deſcriptis credibile eſt. Vtrumque autem ab Imperio ad Eccleſiam translatum fuit; idque ipſius Conſtantini tempore factum fuiſſe, certiſsimo illud argumento eſt, quod primus apud

Ec-

Eccleſiaſticos ſcriptores reperiatur Conſtantinus Tractorias Epiſcopis conceſsiſſe, ad quarum deinde ſimilitudinem Primates Tractorias ſuas formarunt ad Epiſcopos ſibi ſubiectos ad Concilium euocandos.

Tractoriæ igitur Eccleſiaſticæ Epiſtolæ eæ dicebantur, quibus Primates, ſeu Metropolitani, Epiſcopos ſuos ad Synodũ euocabant, & veluti trahebant, & quarũ oſtenſione in ſingulis Prouinciæ Eccleſijs benignè excipiebãtur ijdem Epiſcopi, ac Chriſtiana charitate fouebãtur. In eo Africæ Cõcilio, ꝙ ſub Bonifacio, & Cœleſtino celebratũ fuit, Lucianus, & Syluanus Epiſcopi, Prouinciæ Mauritaniæ Sitifenſis Legati, vt Cæſareenſes Epiſcopos excuſent, quod per Tractoriam ad Concilium euocati nondum adeſſent, ſerò ad illos Tractoriam perueniſſe dicunt; *Lucianus, & Syluanus*, ita habetur cap. 57. *Legati Prouinciæ Mauritaniæ Sitifenſis dixerunt, ſerò ad Cæſareenſes Fratres noſtros Tractoria venit, iam enim & illi veniſſent, tamen neceſſe eſt, vt veniant, & confidimus &c.* D. Auguſtinus libro ad Donatiſtas poſt Collat. cap. 24. de Epiſcoporum numero agens, qui in id Concilium conuenerant, *Sic autem*, inquit, *à Primate ſuo per Tractoriam fuerunt euocati*. Et Epiſtola 217. rationes afferens Victorino Epiſcopo, totius Numidiæ Primatus ius ſibi vendicanti, cur Concilio ad-

Tractoria Eccleſiaſtica quid.

Per Tractoriam euocabãtur Epiſcopi ad Synodũ.

eſſe

eſſe non poſſet, ad quod fuerat per Tractoriam ab eodem euocatus, *Tractoria*, inquit, *ad me 5. Idus Nouembris venit, iam finito die, & me ualdè indiſpoſitum inuenit, vt occurrere omnino non poſſem. Lego in eadem Tractoria etiam ad Mauritanias eſſe ſcriptum, quas Prouincias ſcimus ſuos habere Primates: Quod ſi & ex eis ad Numidiam conuocandum eſſet Concilium, oportuit vtique, vt aliquorum Maurorum Epiſcoporum, qui illic priores ſunt, nomina in Tractoria ponerentur. Quod in iſta Tractoria non reperiens, multum miratus ſum; deinde ad ipſos Numidas ita perturbato, & neglecto ordine ſcriptum eſt, vt nomen meum tertio loco inuenerim, qui noui quàm poſt multos Epiſcopos factus ſum, quæ res & alijs iniurioſa eſt ſatis, & mihi inuidioſa. Præterea venerabilis frater, & Collega noſter Xantippus Tagaſtenſis dixit, quod eum Primatus ipſe contingat, & erga plurimos ſic habetur, & tales mittit Epiſtolas. Qui etiam error ſi facilè inter veſtram ſanctitatem cognoſci, & corrigi poteſt, non debuit tamen in Tractoria, quam miſit venerabilitas tua, nomen eius prætermitti. His de cauſis venire dubitarim, ne fortè falſa eſſet Tractoria. Vnde peto Beatitudinem tuam, vt mihi ignoſcas, & primo inſtare digneris, vt inter tuam ſanctimoniam, & ſenem Xantippum concorditer conſtet, quis veſtrum debeat conuocare Concilium &c.* Hanc Auguſtini epiſtolam

lam

lam huc ideo ſubieci prolixius, quod & Tractoriæ nomen in ea ſæpius poni viderem, & animaduerterem plura ex ea colligi poſſe ad perfectam Eccleſiaſticæ Tractoriæ cognitionem pertinentia, Veluti, Primatum fuiſſe, quod initio dicebam, Epiſcopos per Tractoriam ad Concilium euocare, ſiquidem ex eo quoque excuſat ſe Auguſtinus, cur Concilio adeſſe non poſſet, quod nondum conſtaret, Victorinus ne, an Xantippus Primatum haberet, atque adeo ius conuocandi Concilium, ipſosq; Epiſcopos per Tractorias euocandi. Quod ex ijs etiam verbis, quæ paulo poſt habentur in Epiſtola, colligitur, *Lego in eadem Tractoria etiam ad Mauritanias eſſe ſcriptum, quas Prouincias ſcimus ſuos habere Primates*. Quaſi dixiſſet Auguſtinus, Cum debeant Epiſcopi à proprio Primate euocari, neſcio cur Mauritaniarum Epiſcopi à Numidiæ Primate euocentur, cum & ipſi ſuos habeant Primates. Illud etiam ex eadem Auguſtini epiſtola liquido ſatis deprehenditur, In vnaquaque Tractoria poni conſueuiſſe à Primatibus Epiſcoporum omnium nomina, ad quos Tractoria dabatur; in hoc enim omnino ſenſu accipi oportet, quod mox ibidem legimus, *Deinde ad ipſos Numidas ita perturbato, & neglecto ordine ſcriptum eſt, vt nomen meum tertio loco inuenerim, qui noui quam poſt multos*

Epi-

Epiſcopos factus ſum, quæ res, & alijs iniurioſa eſt ſatis, & mihi inuidioſa. Atque vt quiſque primum Epiſcopus fuerat ordinatus, ita primo loco, nulla ætatis habita ratione, ipſius nomen in Tractoria ponebatur. Qui ſanè ordo in alijs etiam rebus diligenter, ac religiosè ſeruabatur, quemadmodum ex Lucij Papæ epiſtola, & ex Concilijs Cabilonenſi. cap.6. Africano. cap.53. & Mileuitano. capit.13. adnotarunt Iuo 5. parte ſui Decreti. cap.164.165.166. & Gratianus diſtinct.18. cap.Placuit.

Per Tractoriam euocati Epiſcopi benignè à fidelibus vbique excipiebantur.

Iam vero euocatos à Primatibus per Tractoriam Epiſcopos, à fidelibus in ſingulis Prouinciæ Eccleſijs benigne exceptos fuiſſe, præter eam quam nuper citauimus Conſtantini epiſtolam ad Ablauium, & alteram ad Chreſtum Syracuſanorum Epiſcopum, quam recitat Euſebius libr.10. Hiſt. Eccleſ. cap.5. etiam Concilium Meldenſe capit.71. haud obſcurè indicat, cuius verba ſunt, *Vt auctoritatem ſigillo regio roboratam more Tractoriæ Chriſtianiſsimus Princeps ſingulis donet Epiſcopis, quam quiſque Epiſcoporum penes ſe habeat, vt quando ei neceſſe fuerit, per eandem auctoritatem reipublicæ miniſtros conueniat, vt ipſi in quibuſcunque ciuili indiguerint auxilio, reipublicæ miniſtris concurrentibus, ſuum imò diuinum poſsint rite peragere miniſterium.* Quo canone cum ſit certiſsimum, id à Patribus fuiſ-

fuiſſe conſtitutum, vt poſſent Epiſcopi Regia auctoritate, veluti Tractoria muniti, publicum ſibi aduocare auxilium, Regiosque Iudices adſciſcere in ijs omnibus, quæ peragere ſine eorum opera haud commodè valerent, illud etiam manifeſtè conuincitur, Tractoriam illam fuiſſe, qua euocati, vt diximus, ad Concilium Epiſcopi, publicum à Fidelibus in toto itinere haberent auxiliũ.

De Tractorijs. Cap. II.

A Tractorijs Epiſtolis ad Tractatorias libenter tranſeo, quoniam & vocabulo non diſsimili nominantur (cuius ſanè ſimilitudo anſam pleriſque præbuit errandi in earum notione aperienda) & hæ ad plenam illarum cognitionem pertinent. Duo autem apud veteres Eccleſiæ ſcriptores reperio fuiſſe Tractatoriarum genera, nam aut excuſatoriæ erant, aut denunciatoriæ, ſeu declaratoriæ. Primi generis eæ dicebantur, quibus Epiſcopi ad Concilium per Tractoriam euocati excuſationem Primati ſuo afferebant, cur Concilio adeſſe non poſſent. Si quis etenim ex euocatis Epiſcopis, aut ſenectute, aut valetudine, aut alia graui neceſsitate impeditus ad conſtitutam diem tempusque Concilio adeſſe non poterat, is tenebatur impedimenti ſui rationem om-

Tractatoriarum duplex Genus.

Per Tractoriã excuſationem afferebant Epiſcopi, cur ad Concilium euocati, eidẽ adeſſe nõ poſſent.

omnem in Tractatoria Primati exponere. Concilij Carthaginenſis 5. cap. 10. & Africani ſub Bonifacio, & Cœleſtino cap. 43. ita conſtitutum fuit, *Item placuit, vt quotieſcunque Concilium congregandum eſt, Epiſcopi, qui neque ætate, neque ægritudine, neque aliqua grauiori neceſſitate impediuntur, competenter occurrant, & Primatibus ſuarum quarumque Prouinciarum intimetur, vt de vniuerſis Epiſcopis duæ, vel tres turmæ fiant, ac de ſingulis turmis viciſſim quotquot electi fuerint, ad diem Concilij inſtantiſſimè occurrant; quod ſi non potuerint occurrere, excuſationes ſuas in Tractatoria conſcribant; niſi autem rationem impedimenti ſui apud ſuum Primatem reddiderint, Eccleſiæ ſuæ communione debent eſſe contenti.* Hoc Decretum Gratianus compendioſè tranſcripſit in cap. Placuit, vt quotieſcunque, Diſtinct. 18. in hæc verba, *Placuit, vt quotieſcunque congregandum eſt Concilium, Epiſcopi, qui neque ætate, neque alia grauiori neceſſitate impediũtur, competenter occurrant, quod ſi non potuerint occurrere, excuſationes ſuas litteratorie*, corrige, *in Tractatoria*, ſic enim legendum nõ modo allata Conciliorum verba conuincunt, ſed & Gratiani Gloſſator affirmat, & ita rectè M. S. Codices habere ait, *conſcribant; niſi autem rationem impedimenti ſui apud Primatem ſuum reddiderint, Eccleſiæ ſuæ communione debent*

eſſe

eſſe contenti. Ex quibus verbis illud quoque apparet, certam pœnam ijs Epiſcopis fuiſſe conſtitutam, qui impedimenti ſui rationes per Tractatoriam Primati exponere recuſabant. Quæ quidem pœna non excommunicationis erat, vt arbitrati ſunt nonnulli, ſed ſeparationis tantummodo ab alijs Prouinciæ Eccleſijs, ita vt Epiſcopus ille (quemadmodum præclarè adnotauit Ioannes Turrecremata in Commentarijs ad citatam Gratiani diſtinctionem 18.) vocari non poſſet ad Prouincialia negotia tractanda, non ad ſcrutinium, non ad conſecrationem Epiſcoporum, non ad ea denique peragenda, quæ communia ſunt Epiſcopis omnibus cum Primate ſuo. Huius porrò generis Tractatoriæ eſt D. Auguſtini epiſtola 217. ſuperiori capite allata, qua Victorino rationes affert, cur per Tractoriam euocatus, Concilio adeſſe non poſſet.

Ab huiuſmodi verò Tractatoria, diuerſa planè erat illa, qua Epiſcopi publicè denunciabant, ſeu declarabant, hunc vel illum excommunicatum eſſe, aut damnatum, obidque admonebant eos, ad quos ſcribebant, vt ab illius commercio cauerent. Extat apud D. Auguſtinum concione 2. in pſalm. 36. Decretum aduerſus Primianum Donatiſtarum Epiſcopum in hæc verba, *Præter alia illicita eius* (Primiani) *admiſſa, quæ pro*

Per Tractatoriã denũciabant Epiſcopi hũc vel illum eſſe excómunicatum.

honeſtate ſtili noſtri ſiluimus, à Sacerdotali choro perpetuo eſſe damnatum decreuimus, ne eo palpato Dei Eccleſia, aut contagione, aut aliquo crimine maculetur; quod idipſum Paulus Apoſtolus exhortatur, & admonet, 2. ad Theſſalonicenſes cap. 3. *Præcipimus autem vobis fratres in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt diſcedatis ab omni fratre inordinate ambulante; atque ideò non immemores puritatis Eccleſiæ conducibile exiſtimauimus, omnes Sanctos conſacerdotes, & omnes Clericos, & omnes populos, qui ſe Chriſtianos meminerunt, hac noſtra Tractatoria commonere, vt omnes eius,* Primiani, *communionem, vtpote damnati, diligenti cura horreant.* Idem Auguſtinus epiſt. 162. in qua Glorium, Eleuſium, Felicem, & ſocios ad Catholicam vnitatem adhortatur, vt à nonnullis Catholicis Epiſcopis criminationem depellat, in quam fuerant à Donatiſtis vocati, quod male nimirum ſibi conſcij noluiſſent Africano Concilio adeſſe, iterum euocandos eos ait à Tranſmarinarum Eccleſiarum Epiſcopis, vt ibi obiectis reſpondeant, *Quod ſi non fecerint,* ſubijcit, hoc eſt, ſi euocati non adfuerint, obiectaſque criminationes minime depulerint, *ibi etiam eorum prauitas, & peruerſitas innoteſcet, miſſaque Tractatoria ſuper eorum nomine per totum orbem terrarum, quacunque iam Chriſti Eccleſia dilatata eſt, ab omnibus*

nibus Eccleſijs eorum communio præcidetur: In eadem epiſtola Tractatoriæ meminit D. Aguſtinus iterum atque iterum in eandem ſignificationem.

Doctiſsimus Cardinalis Baronius tomo 2. ad ann. Chriſti 142. ipſi vocabulo nimiũ inhærens, Tractatoriam epiſtolam illã fuiſſe ait, qua quid de aliqua re geſtum eſſet, Epiſcopi alios reddebant certiores. Quam acutè aliorum eſto iudicium. Baronij Opinio de Tractatoria.

Tractatoriæ demum, vt hoc quoque addam, mentio habetur in fragmento Concilij Teleptenſis, quod Telenſe Fileſacus loco citato appellat; ſed in qua notione ſit ibi ea vox accipienda, non ſatis liquidò deprehendi poteſt, cum ſit illud merum fragmentum; de quo Baron. tomo 5. ad annos Chriſti 418.

De Paſchalibus Epiſtolis. Cap. III.

PAſchalium epiſtolarum Originem, nomen, atque vſum antequam explicem ac ſtabiliam, illud ſciendum eſt, Ab ipſis Apoſtolis ſancitum fuiſſe, vt Paſchalis Feſtiuitas Dominica die celebraretur. Conſtat id ex epiſtola Protherij Alexandrini Epiſcopi ad S. Leonem Pontificem Romanum data, quam refert Beda de ratione temporum cap. 42. vbi agens Protherius de

Paſchalis Feſtiuitas Dominica die ſemp celebrata.

celebrando Paſchate die Dominico inquit. *Petrum Apoſtolum id Romæ docuiſſe, eademque ab eo accepta S. Marcum Aegyptijs tradidiſſe*. Apoſtolicis ſane temporibus id ipſum in vſu fuiſſe, locupletiſsimus teſtis eſt Ignatius, qui Apoſtolorum temporibus vixit, ſedemque Antiochenam à Petro fundatam adminiſtrauit, epiſtola ad Magneſianos, in qua, *Poſt Sabbatum*, ait, *omnis Chriſti amator Dominicam celebrat diem, diem Reſurrectioni conſecratam Dominicæ, Reginā, & Principem omnium dierum*. Quam deinde conſtitutionem Iudaizantium Eccleſiarum conſuetudine intermitti, vt credibile eſt, ſeu potius violari cernens Pius Pontifex eius nominis primus nouo eam decreto firmandam ac ſtabiliendam operæ pretium duxit, quemadmodum Euſebius in Chronico ad ann. Chriſti 145. ſcribit in hæc verba, *Sancitum eſt à Pio, vt Reſurrectio Dominica, die Dominica celebretur, quod à pluribus poſtea Pontificibus confirmatum eſt*. Extat hoc Pij Decretum in Decretali prima eiuſdem Pij epiſtola, quam infra Encyclicam appellamus, vtpote vniuerſis inſcriptam Chriſti fidelibus, *Cæterum noſſe vos volumus*, Pij verba ſunt, *quod Paſcha Domini die Dominica annuis ſolemnitatibus ſit celebrandum; iſtis ergo temporibus Hermes Doctor fidei, & ſcripturarum effulſit inter nos; & licet nos idem*

Paſcha

Paſcha prædicta die celebremus, quia tamen quidam inde dubitarunt, ad corroborandas animas eorum eidem Hermæ Angelus Domini in habitu Paſtoris apparuit, & præcepit ei, vt Paſcha die Dominico ab omnibus celebraretur; vnde, & vos Apoſtolica auctoritate inſtruimus, omnes eadem ſeruare debere, quia & nos eadem ſeruamus, nec debetis à capite quoquomodo diſſidere. Hic porro Hermes eodem Pio Romæ Epiſcopatum tenente librum ſcripſit, in quo Paſcha die Dominico celebrandum docuit, quemadmodum Damaſus Papa, & ex eo Anaſtaſius Bibliothecarius in ipſius Pij vita teſtantur, *Sub huius*, Pij, *Epiſcopatu*, inquit Damaſus, *Frater ipſius Hermes librum ſcripſit, in quo mandatum continetur, quod ei præcepit Angelus Domini, cum veniret ad eum in habitu Paſtoris, vt Sanctum Paſcha die Dominico celebraretur.* Anaſtaſius vero, *Sub huius Epiſcopatu*, ait, *Hermes librum ſcripſit, in quo mandatum continetur, quod ei præcepit Angelus Domini, cum veniret ad eum in habitu Paſtoris, & præcepit ei, vt ſanctum Paſcha die Dominico celebraretur.* Eũ autem librum, Paſtorem fuiſſe inſcriptum, Græcisque Patribus inprimis cognitum ac probatum, ex Clemente Alexandrino, Origene, Athanaſio, Hieronymo, & Euſebio affirmat Cardinalis Baronius tomo 2. ad ann. Chriſti 159. Victor deinde Quintus

decimus, ex Panuinij ſupputatione, Vrbis Romæ Epiſcopus, prædeceſſorum ſuorum veſtigijs inſiſtens, eamdem decreto ſuo renouauit Conſtitutionem, ad Theophylum enim Cæſareæ Paleſtinæ Epiſcopum ſcribēs inquit, *Celebritatem Sancti Paſchæ die Dominica agi debere, & prædeceſſores noſtri iam ſtatuerunt, & nos illud vobis eadem die celebrari ſolemniter mandamus, quia non decet, vt membra à capite diſcrepent, nec contraria gerant*. Meminere huius Decreti Damaſus, & Anaſtaſius in eius vita, ipſiuſque Victoris verba refert Gratianus de conſecratione diſtinct. 3. Celebrit. Sancti Paſchæ. Quorum Pontificum Decretis fauens Theophylus Cæſareæ Paleſtinæ Epiſcopus Synodicam aduerſus eos, qui decimaquarta luna cum Iudęis Paſcha celebrabant, conſcripſit epiſtolam, vt eſt apud D. Hieronymum in catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum cap. 43. in hæc verba; *Theophylus Cæſareæ Paleſtinæ Epiſcopus aduerſus eos, qui decima quarta lnna cum Iudęis Paſcha faciebant, Synodicam, & valde vtilem compoſuit epiſtolam*. Quæ Hieronymi verba tranſcripſit Honorius Auguſtodunenſis cap. 43. lib. de Illuſtr. Eccleſiæ ſcriptoribus. Illud autem hoc loco non omiſerim, ſicuti perperam in primo Decretalium Epiſtolarum tomo, Theophylo Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopo inſcripta legi-

legitur Victoris Epiſtola, ita ex certiſsima coniectura ſubſtituiſſe me, Theophylum Cæſareæ Paleſtinæ Epiſcopum. Conſtat ſiquidem ex Euſebio in Chronico ad ann. Chriſti 197. & 404. & lib. 5. Hiſtor. Eccleſiaſticæ cap. 22. Cæſareenſem Theophylum ipſius Victoris tempore, Alexandrinum vero non niſi Anaſtaſij, hoc eſt ducentis ſeptem annis poſt Victorem, floruiſſe. In œcumenica quoque prima Nicæna Synodo firmatam hanc fuiſſe obſeruationem conuincitur ex Athanaſio lib. de Synodis, Theophylo Alexandrino in ſuis Paſchalibus epiſtolis, Euſebio de vita Conſtantini lib. 3. cap. 13. & 17. Socrate lib. 1. cap. 6. Theodorito lib. 1. cap. 10. & Nicephoro Calliſto lib. 8. cap. 25. Planè Alphonſus Piſanus vir doctiſsimus in ſua Actorum, & Canonum Nicænorum Collectione ſextum eiuſdem Concilij Canonē ex Iſidori Prefatione in Concilia, & Decreta ita inſcribit, *De Paſcha aduerſus Quartadecimanos*. Cœterum, ſi quis plenius ac copioſius hæc ſcire, ipſaſque Epiſcoporum hac de re contentiones accuratius intelligere volet, ei legendi ſunt Euſebius lib. 5. Hiſt. Eccleſiaſt. cap. 22. 23. 24. & lib. 3. de Vita Conſtantini cap. 5. 13. 16. 17. Ambroſius epiſt. 83. lib. 10. Socrates lib. 5. cap. 21. Epiphanius lib. contra Hęreſes Hæreſi 70. Beda in Chronico, & lib. de ratione Pa-

ſchæ, & Iſidorus lib. 6. Etymolog. cap. 17.

Sed ad rem ipſam tandem vt propius accedamus, conſtat manifeſtè, propter diei huius incertum, ne qua inter fideles, vel ignorantia, vel præſumptione, diuerſitas in eo celebrando oriretur, futurum Paſchalem diem cuiuslibet anni à Romano Pontifice diligenter inueſtigatum, per litteras Epiſcopis omnibus denunciari, ſignificarique conſueuiſſe: quemadmodum expreſſum habetur in Arelatenſi Concilio primo, cuius acta, & Canones à ſe ſtatutos ad Syrueſtrum Romanum Pontificem vniuerſi qui in id conuenerant Epiſcopi per Synodicam Epiſtolam miſerunt, vt ea quæ ipſi ſtatuiſſent, is auctoritate Pontificia confirmaret, totique orbi obſeruanda promulgaret. Canone autem primo, ita habetur, *De obſeruatione Paſchæ Domini, vt vno die, & tempore per omnem orbem obſeruetur, & iuxta conſuetudinem litteras ad omnes tu dirigas*. Extat Synodica hæc epiſtola ex Petri Pithœi Bibliotheca deprompta apud Cardinalem Baronium tomo 3. ad ann. Chriſti 314. ex eoque Seuerinus Binius illam eidem Concilio Arelatenſi primo, ſubijcit. Hanc autem Eccleſiaſticam obſeruationem æque apertè S. Leo Papa expoſuit epiſtola 95. ad Epiſcopos Galliarum, & Hiſpaniarum data, inquiens, *Nouerit Fraternitas veſtra, die octa-*

Paſchalis futur⁹ dies cuiuslibet anni à Rom. Pōtifice inueſtigatus, per litteras Epiſcopis oīb. denūciabatur.

ua

ua kalendarum Maiarum ab omnibus reſurrectionem Dominicam celebrandam, & hoc ipſum per vos alijs eſſe Fratribus intimandum, vt Diuinæ pacis conſortio, ſicut vna fide iungimur, ita vna ſolemnitate feriemur. Cuius etiam teſtis adduci poteſt Vigilius Papa, qui ad Eutherium ſcribens, eiuſque conſultationibus reſpondens ait, *Paſcha futurum nos, ſi Deus voluerit, vndecimo kalendarum Maiarum die celebraturos eſſe cognoſcite.*

Certum porro, ac conſtantem Paſchalis Feſtiuitatis diem reperire cum non ita facile eſſe viderent Sancti Patres in Nicæna Synodo congregati, cognoſcerentque huiuſmodi ſupputationis peritiam Aegyptiorum maxime propriam eſſe, quippe qui ſemper curam omnem in ſyderum cognitione poſuerunt, idcirco decem,& nouem annorum collegere rationem, & quaſi quendam conſtituere circulum, ex quo exemplum in annos reliquos gigneretur, qui aureus deinde numerus fuit appellatus, vt eſt apud D. Ambroſium ep.83. lib.10. atque id operis, ac muneris Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopo aſsignarunt,vt quo potiſsimum die ſingulis annis Paſcha celebrandum eſſet,inueſtigaret, ac Romano Pontifici per litteras patefaceret, à quo vniuerſi deinde totius Eccleſiæ Epiſcopi redderentur certiores, *Paſchale feſtum,* inquit S. Leo epiſt.64. ad

Paſchalis diei cuiuslibet anni inueſtigatio Alexãdriæ Epiſcopo aſſignata.

Mar-

Martianum Auguſtum, *quo ſacramentum ſalutis humanæ maximè continetur, quamuis in primo ſemper menſe celebrandum ſit, ita tamen eſt lunaris curſus conditione mutabile, vt plerunque ſacratiſſima diei ambigua currat electio, & ex hoc fiat plerunque quod non licet, vt non ſimul omnis Eccleſia, quod nonniſi vnum eſſe oportebat, obſeruet: ſtuduereque Sancti Patres,* Nicæni, *occaſionem huius erroris auferre, omnem hanc curam Alexandrino Epiſcopo delegantes, quoniam apud Aegyptios huius ſupputationis antiquitus tradita eſſe videbatur peritia, per quam qui annis ſingulis dies prædictæ ſolemnitatis eueniret, ſedi Apoſtolicæ indicaretur, vt huius ſcripti ad longinquiores Eccleſias iudicium generaliter percurreret.* Quem ſanè morem in Eccleſia Alexandrina tandiu retentum fuiſſe, quoad eidem Eccleſiæ Catholici præfuere Epiſcopi, teſtatur idem Sanctus Leo eadem epiſtola 64. Poſtquam enim Hæretici præſidere cęperunt, interceptum omnino fuit huiuſmodi officium, cum licet illi darent litteras, nemo tamen ab eis acciperet, vtpote Catholica communicatione indignis.

Paſchalis futurus dies cuiuslibet anni

Cognito autem primum ex Epiſcopi Alexandrini litteris, quoto anni die celebrandum Paſcha eſſet, eoque Apoſtolicæ Sedis litteris omnibus Eccleſijs promulgato, ſacro Epiphaniorum die Diaconi in ſingulis

Eccle-

Eccleſijs inter Miſſarum ſolemnia populo denunciare conſueuerunt. Synodi Aurelianenſis quartę, Canonę 1. ita cautum fuit, *Placuit, vt ſanctum Paſcha ſecundum laterculum Victoris ab omnibus vno tempore celebretur, quæ Feſtiuitas annis ſingulis Epiphaniorum die in Eccleſia populis denuncietur.* Cuius obſeruationis veluti per manus traditæ, Caſſianus Collatione 10. capit. 1. meminit his verbis, *Intra Aegypti regionem mos iſte antiqua traditione ſeruatur, vt peracto Epiphaniorum die Epiſtolæ Pontificis Alexandrini per vniuerſas dirigantur Aegypti Eccleſias, quibus & initium Quadrageſimæ, & dies Paſchæ, non ſolum per Ciuitates omnes, ſed etiam per vniuerſa Monaſteria deſignentur: ſecundum hunc igitur morem poſt dies admodum paucos, Theophyli prædictæ vrbis Epiſcopi ſolemnes epiſtolæ commearunt.* Ex quibus vltimis Caſsiani verbis illud obiter aduerte, Paſchales Epiſtolas, Solemnes aliquando fuiſſe nuncupatas.

Epiphaniorum die in ſingulis Eccleſijs denunciabatur.

Paſchales epiſtolæ, Solemnes appellatæ.

Inſtitutum porro denunciandi Paſchatis ſacro Epiphaniorum die Eccleſia quoque Mediolanenſis, quæ veteres Eccleſiaſticos ritus ſemper obſeruauit religioſè, conſtanter adhuc retinet. Ipſo ſiquidem Epiphaniorum die poſt recitatum Euangelium inter Miſſarum ſolemnia Diaconus Paſchatis futurum diem populo in hæc verba annunciat, *Nouerit Charitas veſtra, Fratres chariſ-*

Mediolanēſis Eccleſia Paſchalem futurum diē cuiuſlibet an. Epiphaniorū die denunciat.

ſimi

ſimi, quod annuente Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti miſericordia, Die N. menſis N. Paſcha Domini cum gaudio celebrabimus. Extatque de eo Decretum in 5. Synodo Diœceſana his verbis, *Archidiaconi Metropolitanæ noſtræ Eccleſiæ ſit, in Epiphaniæ ſolemnitate Paſchæ celebritatem denunciare.*

Paſchales Epiſtolę quæ. Paſchales igitur Epiſtolæ, vt id extremo loco dicam, quod erat primo dicendum, erant eæ, quas ſingulis annis, vel Epiſcopus Alexandrinus Romano Pontifici, vel Pontifex Romanus vniuerſis Eccleſiæ Epiſcopis dabat ad certum Paſchalis Feſtiuitatis diem patefaciendum. Quanam autem verborum formula concipi ſolerent huiuſmodi Epiſtolę, tres quę adhuc extant Theophyli Alexandrini Epiſcopi, à Sancto Hieronymo in latinum ſermonem conuerſæ, docere nos poſſunt, quę habentur tomo tertio Bibliothecæ veterum Patrum, & inter opera D. Hieronymi tomo 9.

Paſchaliũ Epiſtolarũ Formula.

De Encyclicis, ſeu Circularibus, ac Catholicis. Cap. IIII.

Encyclicæ Epiſtolæ quæ. ENcyclicæ Epiſtolę, quas Latini, tum Circulares, tum Orbiculares appellant, eę dicebantur, quę ad omnes Chriſti fideles in rebus, aut fidei, aut Eccleſiaſticę diſci-

diſciplinę dabantur, vel à Synodo, vel à Sũmo Pontifice, vel à quocunque alio. Demonſtrat id ſatis apertè ipſa nominis Origo, ac Etymon; ſi quidem à Cyclo, hoc eſt Circulo, ſeu Orbe nomẽ traxerunt Encyclicæ, quod omnibus nimirum fidelibus ἐν κύκλῳ, id eſt in vniuerſum nullo prętermiſſo inſcriberentur, perque manus eorum conficerent quaſi orbem, aut circulum. Diuus Clemens Pontifex Romanus, quemadmodum ab Epiphanio Hæreſi 30. refertur, Encyclicas ad vniuerſos Chriſti fideles exarauit, in quibus cum Ebionęos Hęreticos redarguit, qnod D. Petri circuitus à ſe conſcriptos deprauaſſent, tum Virginitatem egregiè docet, ſummiſque laudibus effert. *Vtuntur,* inquit Epiphanius (Ebionęi) *& alijs libris, nimirum Circuitionibus Petri appellatis per Clementem ſcriptis, multa corrumpentes in ipſis, & pauca vera relinquentes, velut ipſe Clemens ipſos redarguit in Epiſtolis, quas ſcripſit, Encyclicis, quæ in ſanctis Eccleſijs leguntur; quod alium habeant characterem fides ipſius, & ſermo ab his, quæ ab illis ſub nomine ipſius in Circuitionibus corrupta ſunt; ipſe enim Virginitatem docet, & illi non admittunt &c.* Ex quibus Epiphanij verbis conſtat manifeſte, & plures fuiſſe Clementis Encyclicas, & diuerſas planè ab ijs Epiſtolis, quas nunc Clementis nomine

Circulares, & Orbiculares appellatæ.

mine editas habemus, Iacobo nimirum, Iulio, ac Iuliano, Hieroſolymitanis, atque Epiſcopis demum omnibus inſcriptas. Quę vltima licet Encyclicę nomine poſsit appellari, vt pote ad vniuerſos conſcripta Epiſcopos, ex earum tamen numero minimè cenſenda eſt, quarum meminit Epiphanius, cum nulla reperiatur in ea de Virginitate inſtituta narratio. Illud ſanè mirum videtur, Encyclicas eiuſdem Clementis Epiſtolas, quę nimirum in manibus omnium pene Chriſti fidelium erant, paſsimque in Eccleſijs legebantur, vt ſcribit Epiphanius, pluribus earum confectis exemplaribus, omnino perijſſe, cœteras autem certis inſcriptas hominibus, integras ad nos perueniſſe.

Sanctus Pius eius nominis primus Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus, Apoſtolicam traditionem de celebrando Paſchate die Dominico (qua de re nos ſuperiori capite egimus) à Iudaizantibus Eccleſijs violari animaduertens, Encyclicam ad omnes Chriſti fideles conſcripſit epiſtolam, in qua nouo Decreto eandem ſtabiliuit traditionem. *Omnibus Eccleſijs*, ita habet Circularis huius Epiſtolæ inſcriptio, *in eadem qua ſumus fide, & doctrina manentibus Pius Apoſtolicæ Sedis Archiepiſcopus.* Extat inter opera D. Cypriani ab eruditiſsimo Pamelio

accu-

accurate recognita certoque ordine diſtributa, Cleri Romani epiſtola ad Clerum Carthaginenſem data de ſeceſſu eiuſdem Cypriani, & de lapſorum cura abſente Cypriano. Hanc epiſtolam, quæ tertia numero eſt, licet vni Clero Carthaginenſi inſcriptam, Encyclicæ tamen nomine appellandam ex eo haud temere affirmat Cardinalis Baronius tomo ſecundo, ad ann. Chriſti 253. quod ad eius finem petant Romani à Carthaginenſibus, vt ipſius exemplum mittant ad vniuerſos Chriſti fideles, *Petimus vos*, inquit Romanus Clerus, *qui habetis zelum Dei, harum litterarum exemplum ad quoſcunque poteritis tranſmittere per idoneas occaſiones, vt ſtent fortes, & immobiles in fide.* Conſtantinus Imperator Encyclicam ad vniuerſas totius orbis Eccleſias conſcripſit epiſtolam de ijs, quæ in ſacroſancta, & œcumenica Nicæna prima Synodo fuerant acta, & maxime pro Sexti eiuſdem Synodi Canonis explicatione de Paſchalis feſtiuitatis celebratione ad verſus quartadecimanos. Quam epiſtolam referunt Euſebius de vita eiuſdem Conſtantini lib. 3. cap. 16. Socrates lib. 1. cap. 6. Theodoritus lib. 1. cap. 10. & Nicephorus Calliſtus lib. 8. cap. 25. Honorij, ac Theodoſij Auguſtorum temporibus, Luciano Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Presbytero diuinitus reuelata fuiſſe corpo-

ra beatiſsimi Stephani Protomartyris, & Sanctorum Gamalielis, Nicodemi, & Abibonis, præter Bedam, Vſuardum, & Adonem in Martyrolog. 3. die Auguſti, memorant Auguſtinus Tractatu 120. in Ioannem, Photius in ſua Bibliotheca in Chryſippo nu. 171. Marcellinus in Chronico, & Nicephorus Calliſtus lib. 14. cap. 9. Quàm reuelationem ſibi vni factam, vt vniuerſis Chriſti fidelibus aperiret vir ſanctiſsimus, Encyclicam de ea Græco ſermone exarauit epiſtolam, quemadmodum tradit Gennadius lib. de viris Illuſtribus cap. 46. & 47. & ex eo Honorius Auguſtodunenſis lib. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis cap. 46. quam deinde Latinam factam ab Auito Presbytero Hiſpano vterque ibidem affirmat. Gennadij verba ſunt, *Lucianus Presbyter vir ſanctus, cui reuelauit Deus temporibus Honorij, & Theodoſij Auguſtorum locum ſepulcri, & reliquiarum corporis Sancti Stephani Martyris primi, ſcripſit ipſam reuelationem ad omnium Eccleſiarum perſonas Græco Sermone.* Et cap. 47. *Auitus Presbyter*, inquit, *homo Hiſpanus genere, ante relatam Luciani Presbyteri ſcripturam in Latinum tranſtulit ſermonem.* Honorius verò, *Lucianus Presbyter vir ſanctus ſcripſit reuelationem ſancti Stephani Græco ſermone; hanc Auitus Presbyter Hiſpanus genere in Latinum tranſtulit Sermonem.* Exem-

plum

plum porro Circularis huius epiſtolæ M. S. habetur in Bibliotheca noſtra Ambroſiana, & ſuppeditant etiam Laurentius Surius tomo 4. de Vitis Sanctorum 3. Die Auguſti, & Cardinalis Baronius tomo 5. ad ann. Chriſti 415. cum hac inſcriptione, *Lucianus miſericordia Dei indigens, & omnium hominum minimus, Presbyter Eccleſiæ Dei, quæ eſt in villa Caphar Gamala in territorio Hieroſolymorum, Sanctæ Eccleſiæ, & omnibus Sanctis, qui ſunt in Chriſto Ieſu in vniuerſo mundo, in Domino ſalutem*. Quam Inſcriptionem huc ideo ſubieci, quod, & ex ea conſtet manifeſtè, Circularem omnino eſſe Luciani Epiſtolam, vtpote vniuerſis inſcriptam Chriſti fidelibus; & aduertat preclarè Cardinalis Baronius, vt dictum eſt lib. 1. cap. 5. conſultiſsime à Luciano poſita in ea fuiſſe verba illa, *Lucianus Miſericordia Dei indigens*, ad peſtiferam Pelagij Hæreſim, tunc ibi maxime graſſantem, eijciendam prorſus, & & euertendam. In œcumenica Synodo Octaua, Conſtantinopolitana Quarta, ab eruditiſsimo Viro Matthæo Radero Soc. Ieſu Græce ac Latine edita, notiſque paſsim illuſtrata, poſt Actionem 10. Encyclica totius Synodi habetur epiſtola ad vniuerſos Chriſti fideles in cauſa Ignatij Patriarchæ Conſtantinopolitani aduerſus Photiũ Pſeudopatriarcham, in qua cunctæ in Synodo

res geſtæ, ipſiuſque Photij acta ſummatim narrantur. Gregorij quoque Pontificis Romani eius nominis ſeptimi plures habentur Encyclicæ tomo 3. epiſtolarum Decretaliũ, veluti lib. 1. epiſt. 49. in qua vniuerſos Chriſti fideles hortatur Gregorius, vt Conſtantinopolitanis opem ferant, quod à Sarracenis multis calamitatibus afficerentur. lib. 2. epiſt. 27. inuitat Chriſtianos omnes ad eorum Catholicorum defenſionem, qui in tranſmarinis partibus ab Infidelibus premebantur. lib. 3. epiſt. 6. in cauſa excommunicationis Henrici Regis Teutonicorũ, iniuriam Sedi Apoſtolicæ factã exaggerãs, catholicos omnes cohortatur ad Diuinam opem implorandam, vt aut impios ad pœnitentiam conuertere, aut eorum conſilia reprimere dignetur, mittitque exemplum Regis Anathematizationis. lib. 4. epiſt. 1. queritur de eiuſdem Henrici perfidia ac malis quæ Eccleſia ab eo patiebatur, monetque fideles vniuerſos, vt eum ad veram pœnitentiam prouocent; vel ſi audire noluerit, viriliter ei reſiſtant; eos autem, qui Regi adhæſerant, ſi reſipiſcere voluerint, docet ad Eccleſiæ gremium eſſe admittendos, qui vero ab eiuſdem communione minime ſe ſubtraxerint, omnino vitandos. lib 8. ep. 7. Encyclicam exarauit de expeditione cõtra Guibertum Rauennatem Pſeudopapam

ſuſce-

ſuſcepta. lib. demum 9. epiſt. 21. excitat Catholicos vniuerſos ad perſecutiones cõſtanti animo perferendas. Amplius Paſchali Romano Pontifici, Epiſcopis omnibus, ac vniuerſis Chriſtianæ fidei cultoribus, Piſanus Archiepiſcopus Sedis Apoſtolicæ Legatus, Godefredus Dux, Regimundus Comes, omniſque Catholicus exercitus, qui Hieroſolymis conuenerat ad Terram Sanctam à Sarracenis redimendam, Encyclicam conſcripſerunt de neceſsitatibus, & negotijs ipſius terræ Sanctæ; quam integram, ac ex Vuillelmo Tyrio emendatam tranſcripſit Cardinalis Baron. tom. 12. ad ann. Chriſti 1100.

Cœterum Encyclicas, ſeu Circulares haſce epiſtolas, Catholicas etiã reperio fuiſſe nuncupatas; non ob eam quidem rationem, quod de rebus Catholicæ fidei aut diſciplinæ agerent, ſed quod in vniuerſum ad omnes Chriſti fideles eſſent exaratæ: ita ut vox iſta, *Catholicum*, nihil aliud nobis hoc loco ſonet, quàm *vniuerſale*, ſeu *generale*. In qua ſane ſignificatione ſeptem illæ epiſtolæ, ſanctorum videlicet Iacobi, Petri, Ioannis, & Iudæ, Catholicæ fuerunt appellatæ, quemadmodum Oecumenius in ſuis ad epiſtolam Iacobi Commentarijs ſcribit in hæc verba, καθολικαὶ λέγονται αὗται, οἱονεὶ ἐγκύκλιοι: οὐ γὰρ ἀφωρισμένως ἔθνει ἑνὶ ἢ

Encyclicæ epiſtolæ Catholicæ appellatæ.

πόλει, ὡς ὁ θεῖος παῦλος, οἷον Ρωμαίοις, ἢ Κορινθίοις προσφωνεῖ πάντας τὰς ἐπιστολὰς ὁ τῶν τοιούτων τοῦ κυρίου μαθητῶν θίασος, ἀλλὰ καθόλου τοῖς πιστοῖς, ἤτοι Ἰουδαίοις τοῖς ἐν τῇ διασπορᾷ, ὡς καὶ ὁ πέτρος, ἢ καὶ πᾶσι τοῖς ὑπὲρ τὴν αὐτὴν πίστιν χριστιανοῖς τελοῦσιν. Hoc eſt, *Catholicæ dicuntur hæ epiſtolæ, quaſi Encyclicæ, non enim ſeparatim gentem vnam, aut ciuitatem, quemadmodum D. Paulus Romanos aut Corinthios, his epiſtolis alloquitur talium Domini diſcipulorum ſacer Chorus,* Iacobus nimirũ, Petrus, Ioãnes, & Iudas, *ſed in vniuerſum Fideles omnes. &c.* Cum Oecumenio autẽ plures alios Patres conſentire credibile eſt, cum ille ex eorum ſententijs, & ſcriptis ſuum ne ctat Commentarium. Eandem vocis huius notationem ſeu etymon perſtringit Leontius Bizãtinus in ſuis Scholis ex ore Theodori Abbatis excerptis de Sectarum Hiſtoſtoria Actione 2. (quæ tomo 4. Bibliothecæ Patrum habentur) *Epiſtolæ,* inquit Leontius, *Catholicæ Iacobi, Petri, Ioannis, & Iudæ Catholicæ ſiue Generales dictæ ſunt, quod nõ ad vnam ſcriptæ ſint gentem, vti Paulinæ, ſed generaliter ad omnes.* Cuius etiam appellationis habemus teſtem non contemnendum Iſidorum lib. 6. Etymolog. cap. 2. apud quẽ ita eſt, *Catholicæ ideo nominantur, quod non vni tantum populo, aut Ciuitati, ſed vniuerſis gentibus generaliter ſcriptæ ſunt.* Hucque

per-

pertinet quod de Dionyſio Corinthiorum Epiſcopo, eiuſque lucubrationibus agens Euſebius lib. 4. Hiſtor. Eccleſ. cap. 22. ita ſcribit, *Primum dicamus de Dionyſio, tum quod Corinthiorũ Eccleſiæ Epiſcopalem Sedem adeptus ſit, tum quod ſuas præclaras, & Diuinas vigilias non ſolum ijs, quibus præfuit, ſed alijs etiam aliarum Eccleſiarum incolis affatim impertierat; & ſane Catholicis ſuis epiſtolis, quas ad Eccleſias exarauit, omnibus permultum vtilitatis attulerit, &c.* In qua etiã ſignificatione accipienda ſunt hæc eiuſdem Euſebij verba de Themisõte agẽtis, *Audebat Apoſtolum imitando Catholicã ad omnes Eccleſias epiſtolã contexere*, quæ lib. 5. Hiſt. c. 17. legũtur.

Nec illud omiſerim, huiuſmodi epiſtolam ad omnes fideles conſcriptam, Generalem ab Epiphanio fuiſſe nominatam; ad Hieronymum enim ſcribens Epiphanius (quæ epiſtola inter Hieronymi epiſtolas numero eſt 73.) *Generalis*, inquit, *epiſtola, quæ ad omnes Catholicos ſcripta eſt, ad te propriè pertinet, qui zelũ fidei aduerſus cũctas Hæreſes habẽs, Origenis propriè, &c.* Quę appellatio colligitũ ẽt ex Leontij, & Iſidori locis ſupra nup citatis.

Encyclica Epiſtola, Generalis etiã dicta.

De Decretalibus Epiſtolis. Cap. V.

Decretaliũ Epiſtolarũ auctoritas.

DEcretales ſummorum Pontificum epiſtolas maximam ſemper in vniuerſa

Eccleſia auctoritatem habuiſſe, certiſsimo illud argumento eſt, quod ex omnibus Chriſtiani orbis partibus conſueuerunt Epiſcopi ac Catholici Principes in dubijs rebus aut fidei aut Chriſtianæ diſciplinæ Romanos Pontifices conſulere, *inde reſponſa quærentes*, Tarraconenſium Epiſcoporum uerba ſunt ad S. Hilarum Papam epiſtola 2. *vnde nihil errore, nihil præſumptione, ſed Pontificali totum deliberatione præcipitur*. Et ſane grauiores in illis declarantur cauſę, Catholicæ fidei dogmata ſtatuuntur, damnantur Hæreſes, Eccleſiaſtica Iura decernuntur, abſoluuntur inique damnati, atque ea fere omnia, quæ ad vniuerſæ Eccleſiæ politiam pertinent, in ijs reperiuntur. Illud etiam harum epiſtolarum auctoritatem non obſcurè ſignificat, quod in Oecumenicis Concilijs, quemadmodum ipſa Conciliorum acta teſtantur, ante omnia legi conſueuerunt, nec in ijs quicquam agitabatur, quod non prius ipſæ epiſtolæ agitandum præſcripſiſſent. Columnæ Catholicæ fidei merito nuncupatæ, & tanquam ab ipſo Apoſtolorum Principis ore prolatæ fauſtis Patrum acclamationibus ſuſceptæ, & ab Imperatoribus, reliquiſque Catholicis Principibus plurimi ſemper factæ. Quin Ethnici etiam Imperatores illarum interdum agnouere auctoritatem, vt teſtatur Euſebius Hi-

ſtor.

ſtor. Eccleſ. lib.7. cap. 24. inquiens, Aurelianum Imperatorem in Pauli Samoſateni Hæretici controuerſia id vnum obſeruandum præcipiſſe, quod Romani Pontificis litteris fuiſſet præſcriptum. Nec Hæretici defuere, qui ſuas Hæreſes harum epiſtolarum auctoritate defendere ac confirmare conati ſunt, alias ex eis mutantes, corrumpentes alias, & alias quaſi ab ipſis Pontificibus exaratas confingentes. Ob idque veteri inſtituto cautum fuiſſe exiſtimo, vt primaria, & authentica earum exempla in Romanæ Eccleſiæ Tabularijs aſſeruarentur, quemadmodum tradidere D. Hieronymus Apologia 3. aduerſus Ruffinum, & S. Gregorius epiſt. 54. libri 2. Indicti. 11. Decretalium denique epiſtolarum auctoritatem maximè declarant Sancti Leonis, & Gelaſij primi Pontificum verba, quorum ille ad vniuerſos Italiæ Epiſcopos ſcribens, *Omnia*, inquit, *Decretalia conſtituta, tam Beatæ Recordationis Innocentij, quam omnium Deceſſorum noſtrorum, quæ de Eccleſiaſticis ordinibus, & Canonum promulgata ſunt diſciplinis, ita veſtram dilectionem cuſtodire debere mandamus, vt ſi quis illa contempſerit, veniam ſibi deinceps nouerit denegari*. Beatus vero Gelaſius in eo Decreto, quod de apocryphis ſcripturis promulgauit, *Decretales*, ait, *epiſtolæ, quas Beatiſſimi Papæ diuerſis temporibus*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ab vrbe Romana pro diuerſorum Patrum conſultatione (ita enim certiſsimis coniecturis locus ille reſtituendus eſt pro eo, quod male legitur, *conſolatione*) *dederunt, venerabiliter recipiendæ ſunt*. Quos Leonis ac Gelaſij locos ad earundem epiſtolarum auctoritatem confirmandam citat, multa quoque in eandē rem addens, Nicolaus primus epiſt. 42. ad vniuerſos Galliæ Epiſcopos exarata.

Decretales Epiſtolę quę.

Ex his igitur, quæ de Epiſtolarum Decretalium auctoritate hucuſque diximus, conſtat manifeſtè, eas fuiſſe Decretales epiſtolas appellatas, quibus Romani Pontifices, aut aliorum Conſultationibus reſpondebant, aut aliquid ſeruandum vitandumve decernebant. Prioris generis Decretales ſunt eæ, de quibus meminit Gelaſius in ſuo de Apocryphis ſcripturis Decreto nuper à nobis citato; & eæ, quibus Vigilius Papa Eutherij Conſultationibus reſcribit, & Nicolaus Primus ad Bulgarorum conſulta reſpondet. Alterius vero generis ſunt eæ, quę Decretales inſcribūtur, tribus tomis collectæ, & iuxta Pontificum ac temporum ſeriē diſtributæ ac collocatæ. De quibus omnibus multa præclara habet vir doctiſsimus Franciſcus Turrianus in ſuis pro Canonibus Apoſtolorum, & Epiſtolis Pontificum libris.

De Synodicis, ſeu Synodalibus. *Caput VI.*

SYnodicæ, ſeu Synodales Epiſtolæ, à voce Synodus nomen trahentes, eæ communiter dicebantur, quas Synodus quacunque occaſione exarabat. Separatim autem illæ fuerunt Synodicæ nuncupatæ, per quas, aut Pontifex Romanus ad Pontificatus faſtigium primo euectus rectæ fidei Formulam Patriarchis, ac Metropolitanis præſcribebat; aut ipſi Patriarchæ, ac Metropolitani recens creati Catholicam fidem apud Romanum Pontificem profitebantur, eiusque cauſas cum eodem conferebant. Synodalium primo loco poſitarum genera multa eſſe non ignoro, ſi quidem pro temporum, perſonarum, ac rerum multitudine, ac varietate, variæ, ac multiplices exarari conſueuerunt à Synodo epiſtolæ, quæ paſsim in Actis Conciliorum habentur. Vnum tamen illud genus certiſsimum eſt, ſcituque, ac cognitione digniſsimum, quo Patres vniuerſi, qui in Synodum aliquam conuenerant, Canonum à ſe ſancitorum confirmationem à Romano Pontifice depoſcebant. Etenim Eccleſiaſtico iure traditum fuit, ac obſeruatum ſemper, vt Decreta Synodica tantum roboris haberent, ac fir-

Synodales Epiſtolæ quæ.

Per Synodicas litteras, Canonum confirmationem à Rom. Pōtifice depoſcebāt Patres in Synodo congregati.

firmitatis, quantum eis Apoſtolica Sedes auctoritate ſua impertiret, *Ad Romanum* ſiquidem *Pontificem*, vt inquit Photius Conſtantinopolitanus ad Nicolaũ primum ſcribens, *pertinet confirmare, & authenticam facere Synodi ſententiam*. Quod & Socrates Hiſtoriæ Eccleſiaſt. lib. 2. cap. 13. prodidit in hæc verba, *Canon Eccleſiaſticus vetat, ne Decreta abſque ſententia Epiſcopi Romani Eccleſiis ſanciantur*. Qui quidem Canon, cum in nulla Synodo ſancitus reperiatur, antiquo potius vſu, iugiq́ue omnium obſeruatione ſtabilitus, veluti ab Apoſtolis per manus tradita inſtitutio, dicendus videtur; quemadmodum prȩclarè aduertit Cardinalis Baronius ad ann. Chriſti 325. Id quod ex Cypriani epiſtola 72. ad Stephanum Papam data facilè colligi poteſt. Singula certe Concilia, tam vniuerſalia, quam Nationalia, ac Prouincialia omnem firmitatem ſuam à Romano Pontificẽ habuiſſe late comprobant Cardinalis Hoſius in Antibrentio, Melchior Canus locorum Theologicorum lib. 5. & 6. & Cardinal. Bellarminus libr. de Romano Pontifice, & de Concilio. Hanc itaque Canonum à ſe ſancitorum firmitatem quo facilius conſequerentur Patres in vnaquaque Synodo congregati, eam per litteras à Pontifice Romano conſueuerunt efflagitare; quæ quidem ex eo Synodicarum, ſeu Synodalium

dalium nomen inuenerunt, quod eſſent à Synodo exaratæ. Extant huiuſmodi litteræ ab Arelatenſi Concilio ad Syluestrũ Pontificem Romanum, in quibus ea verba leguntur, *Placuit autem antequam edantur*, canones nimirum à Synodo ſanciti, *à te, qui maiores Diœceſes tenes, confirmari, & per te omnibus inſinuari*. Et à ſacroſancta Oecumenica Nicœna Synodo ad eundem Syluestrum, quarum Clauſula ea eſt, *Quicquid autem constituimus in Nicæno Concilio, precamur veſtro oris cõſortio confirmetur*. Eiuſdem quoque generis ſunt illæ, quas & ſacra Synodus Conſtantinopolitana prima ad Damaſum primum, & Epheſina ad Cœleſtinum, & Chalcedonenſis ad Leonem primum miſerunt, vt interim cœteras aliarum Synodorum ad alios Pontifices Romanos datas non commemorem, quas videre licet in ipſis Conciliorum Actionibus, & reliqua Eccleſiæ Hiſtoria. Quæ ſanè omnia illud facile demonſtrant, quod initio dicebam, cõſueuiſſe Patres in vnaquaque Synodo congregatos mittere ad Pontificem Romanum per Synodicam epiſtolam Canones à ſe ſtatutos, vt ab ipſo robur eis, ac firmitatem obtinerent.

Erat illa quoque ab Apoſtolica Traditione profecta conſuetudo, vt Pontifex Romanus ad Pontificatus faſtigium primo eue- Per Synodicas literas Pō·

ctus

tifex Rō. recens creatus fidei formulam Epiſcopis omnibus mittebat.

ctus rectæ fidei Formulam per Synodicas litteras Epiſcopis omnibus, & maximè Patriarchis, ac Metropolitanis mitteret. Teſtatur id Gelaſius primus Pontifex ſanctiſsimus, & ſapientiſsimus in epiſtola ad Laurentium de Lignido Epiſcopum, vbi, *Quia nos*, inquit, *admones dilectione Fraterna, vt velut medicinam quandam fidei Epiſcopis per Illyricum, & alijs miniſtrare debeamus, quamquam hoc copioſiſſimè factum ſit à Beatæ recordationis prædeceſſore noſtro* Felice Tertio, *quia tamen mos eſt Romanæ Eccleſiæ Sacerdoti nouiter conſtituto Formam fidei ſuæ ad ſanctas Eccleſias prorogare, hæc eadem compendioſa nimis breuitate ſtudui renouare, vt ſub qua fide viuendum ſit ſecundum ſtatuta Patrum, in hac noſtra epiſtola per breuitatem ſine faſtidio Lector agnoſcat. Confitemur ergo Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, Filium Dei vnigenitum, ante omnia quidem ſecula &c.* Integram autem hic ſubiungit Gelaſius Catholicæ fidei confeſsionem, credendique formulam, tanquam exemplar, quod Catholici omnes, potiſsimum vero Epiſcopi ad imitandum ſibi proponerent. Eodem ſui Pontificatus exordio idem Gelaſius ad vniuerſos Dardaniæ Epiſcopos litteras dedit, quibus nunciat ſe Pontificem electum, & Catholicæ fidei formulam tranſmittit, hortaturque, vt cum Eutychianiſtis non communicent, *Vbi primum,*

mum, ait Gelaſius epiſt.2. *reſpirare fas eſt à continuorum tempeſtate bellorum, quæ vel in illis Prouincijs, vel in iſtis temporum qualitas inceſſanter exercuit, cunctos per Dardaniam Domini ſacerdotes Fraternæ ſolicitudinis charitate duximus alloquendos; primum, quia Regimen Apoſtolicæ ſedis adepti ſtrepitu publico, vt dictum eſt, retardante, commiſſum nobis ſacræ diſpenſationis officium proprijs, vt mos erat, litteris nequiuimus indicare, quo veſtra Fraternitas de Communionis Domini nobiſcum munere gratuletur; deinde vt poſt tantas acerbitates, incommoditateſque mundanas, qualiter inuicem valeremus, mutuus ſermo depromeret; poſtremo ſi qua de Eccleſiaſticis referenda ſunt cauſis, quæ propter inſidias perpetui hoſtis paſtorali ſunt iugiter circunſpicienda vigilantia, ſignificationibus panderemus alternis &c.* Subdens hic iterum Gelaſius Catholicę Fidei profeſsionem, Eutychetis Hæreſim condemnat. Gregorius quoque huius nominis primus, prædeceſſorum ſuorum veſtigijs inhærens, Synodalem epiſtolam (ita eam ipſe appellat lib.1.epiſt.4. ad Ioannem Conſtantinopolitanum Epiſcopum,& epiſt. 25. eiuſdem libri ad Anaſtaſium Patriarchã Antiochenum) dedit ad vniuerſos Orientalis Eccleſiæ Patriarchas, in qua cum ipſe Paſtorum Paſtor, quales reuera debeant eſſe Paſtores, pluribus quam accuratiſsime

docet,

docet, tum quid credere recte debeant, vt Catholica communione digni habeantur, inſinuat. Omiſsis autem ijs, quæ de onere Paſtorali ſibi nuper impoſito præclare in ea epiſtola diſſerit Gregorius, illa tantum breuiter attingam, quæ ad fidei Catholicæ profeſsionem pertinent, atque adeo ad eam, de qua nunc agimus, rem; *Quia*, inquit Gregorius, *corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem, ſicut ſancti Euangelij quatuor libros, ſic quatuor Concilia ſuſcipere, & venerari me fateor; Nicænum ſcilicet, in quo peruerſum Arij dogma deſtruitur; Conſtantinopolitanum quoque, in quo Eunomij, & Macedonij error conuincitur; Epheſinum etiam primum, in quo Neſtorij impietas iudicatur; Chalcedonenſe vero, in quo Eutychetis Dioſcorique prauitas reprobatur, tota deuotione complector, integerrimaque approbatione cuſtodio, quia in his velut in quadrato lapide ſanctæ fidei ſtructura conſurgit. &c.* Hactenus Gregorius, qui perfectam ſubijcit, numeriſque omnibus abſolutam Catholicæ fidei profeſsionem. De huiuſmodi autem Gregorij Synodica hæc habet Ioannes Diaconus in ipſius Gregorij vita lib. 2. cap. 3. *Synodicam quoque ſuam Gregorius ſecundum priſcum prædeceſſorum ſuorum morem Ioanni Conſtantinopolitano, Eulogio Alexandrino, Gregorio Antiocheno, Ioanni Hieroſolymitano, & Anaſtaſio Patriar-*

chę

Digitized by Google

chæ Antiocheno deſtinauit, quæ ita habet &c. Quæ Ioannis Diaconi verba ſane declarant, antiquiſsimum eſſe in Eccleſia morem illum mittendi per Synodicas litteras Fidei Formulam à Romanis Pontificibus recenter creatis ad Patriarchas, & alios Epiſcopos.

Rurſus fuit ea quoque peruetus traditio, vt Epiſcopi recens creati, potiſsimum autem Metropolitani, ac Patriarchæ per Synodicas litteras apud Romanum Pontificem fidei ſuæ doctrinam profiterentur, eiuſque cauſas cum eodem conferrent. Meminit haud obſcure huius obſeruationis idem Gregorius libro 5. epiſt. 64. ad Anaſtaſium Presbyterum in hæc verba, *De hoc quoque & dilecto fratri noſtro Conſtantinopolitanæ ciuitatis Antiſtiti, qui ſupradicti Sancti Ioannis loco ordinatus eſt, noſtra volumus ſcripta tranſmittere; ſed quia conſuetudo non eſt, vt prius quam ad nos eius Synodica deferatur, debeamus ſcribere, idcirco diſsimulimus; ſed poſtquam ea nobis delata fuerit, ei hæc, dum opportunum fuerit, indicabimus.* Extant porro plures eius generis epiſtolæ, vt illa à Sophronio Hieroſolymitano Patriarcha ad Honorium Primum Pontificem Romanum ſcripta, quam Photius Conſtantinopolitanus in ſua Bibliotheca Codice 231. & Synodicam appellat, & plenam ait eſſe pietatis, & orthodoxam ſententiam accurate tradere, & ſacrorum

Epiſcopi recenter creati per Synodicas litteras fidei formulam apud Romanum Pontificem profitebantur.

rum

rum dogmatum doctrinam haud vulgarem. In ea igitur cum ad Honorium de fide ſua refert Sophronius, & ab eo in illa firmari poſtulat, Paulum Apoſtolum imitari ſe dicit inquiens ex Franciſci Turriani verſione lib. 2. pro Epiſtolis Pontificum cap. 4. *Apoſtolica, & vetus Traditio inualuit, vt qui ad Epiſcopatum eliguntur, ad eos, qui in Hierarchijs capeſſendis, & adminiſtrandis maiores ſunt, omnino ſincere referant, quid ſentiant, & qua fide ſint, vt Paulus Apoſtolus illis tradidit, Paulus enim cum alioqui arcana Dei, quæ non licet homini loqui, audiſſet, metuebat tamen ne cum Euangelium ſalutis alijs prædicaret, ipſe reprobus fieret; vnde, & Hieroſolymam aſcendit, quamquam Chriſti diſcipulus cæleſtis, & anteceſſoribus ſuis Diuinis diſcipulis ſe ſubmiſit, & Euangelicam doctrinam, quam predicabat, manifeſtauit ijs, qui videbantur alijs antecellere, ac dogma cum eis communicauit, exemplum firmum poſteris relinquens, vt ſic ipſi quoque facerent.* Et mox, *Huic nos conſuetudini ſeruientes, ad vos, qualis ſit fides noſtra, ſcribimus, vt probetur, ne terminos æternos, quos Patres noſtri poſuerunt, tranſire videamur; ſcribimus inquam ad vos, qui non ſolum noſtis diſcernere legitima dogmata ab adulterinis, ſed etiam ſupplere quæ deſunt poteſtis.* Subnectit deinde Sophronius integram, perfectamque, atque omni ex parte eluci-

datam

datam Catholicæ fidei profeſsionem, omnes nominatim damnans Hæreſiarchas, qui ad eam vſque diem extitiſſent. Ad extremum autem ita ipſum, ad quem ſcribebat, Honorium interpellat, *Obſecro Charitatem veſtram Fraternam, vt Leontium Deo charum Diaconum, & Reuerendum Fratrem noſtrum Polyeuctum, quibus litteras noſtras Synodicas commiſimus, beneuolo vultu aſpiciatis, & humanitate, qua decet, eos alloquamini. Quin etiam poſtremo rogamus, vt detis eis litteras, quæ fidem rectam noſtram illuſtrent, & mores animæ noſtræ candidos faciant, & ſcientiam paſcendi nos doceant, & ad paſcendum Chriſti gregem animum addant*. Hactenus Sophronij epiſtola, quam huc ob id prolixius adieci, quod ex ea manifeſte appareat, & Morem hunc ab Apoſtolicis temporibus, ab ipſo videlicet Paulo, initium duxiſſe, & eas litteras, per quas Epiſcopi recens creati fidem ſuam cum Romano Pontifice conferebant, Synodicas appellari conſueuiſſe. Illud autem hic monendum putamus, hanc Sophronij epiſtolam, licet in Actis Latinis Synodi Sextæ habeatur ad Sergium Conſtantinopolitanum Patriarcham data, reuera tamen ad Honorium Pontificem Romanum fuiſſe exaratam, cum, & in Græcis Codicibus ad Honorium inſcripta reperiatur, quos ſecutus eſt Franciſcus Turria-

nus vbi ſupra, & affirmet Photius loco citato ad eundem Honorium miſſam fuiſſe. Vel certe dicendum erit cum Cardinali Baronio tomo 8. ad ann. Chriſti 633. Encyclicam fuiſſe huiuſmodi epiſtolam, miſſamque à Sophronio, veluti fidei ſuæ confeſſionem, quo anno creatus eſt Hieroſolymorum Epiſcopus, ad Sergium Conſtantinopolitanum Patriarcham, ad Honorium Pontificem Romanum, & ad omnes alios Eccleſiæ Catholicę Antiſtites. Nicephorus quoque Patriarca Conſtantinopolitanus, eandem Apoſtolicam ſequutus Traditionem, paulo poſt Patriarchatus ſui exordium, nec enim id illi antea facere licuit, Synodicam exarauit ad Leonem 3. cũ fidei ſuæ Confeſsione, quemadmodum prodidit in hæc verba Theophanes ab Anaſtaſio Bibliothecario ex Cardinalis Baronij sẽtẽtia Latinus factus, *Nicephorus quoque Sanctiſſimus Patriarca trãſmiſit Synodicas litteras ad Leonẽ Sanctũ Papã Romanũ, antea quippe hoc facere ꝓhibebatur à Nicephoro Imperatore.* In qua epiſtola agit primo Nicephorus de ratione vitæ ſuę ante Epiſcopatum, vt, poſtquam inter eos, qui à ſecretis ſunt, vixiſſet in aula Imperatoris, inde ſeceſſerit ad Heremiticam vitam, à qua abſtractus ſit rurſum in Curiam, & Epiſcopus inuitus conſtitutus, qui ſe eo munere indignum agnoſceret:

ret: Addit deinde Fidei ſuę profeſsionem ſane copioſam, in qua omnia ſe tenere dogmata diſerte confitetur, quę ſemper & nunc maximè tenet Catholica, & Romana Eccleſia, de Vnitate & Trinitate perſonarum, de Incarnationis Myſterio, & alijs fidei articulis; de cultu, veneratione, & interceſsione ſanctorum; de eorum reliquijs aſſeruandis, & omni honore habendis; de cultu Imaginum; & de ſeptem Synodis, quas recipere profitetur, omnes Hęreſes condemnans. Purgat ſe demum de exaratę Synodicę tarditate (ab ipſo nimirum Nicephoro Imperatore impeditus) ipſiusque Pontificis litteras expoſcit in ſymbolum Communionis. Extat hæc epiſtola ad finem Concilij Epheſini, à Theodoro Peltano inſignis doctrinæ, ac eloquentię viro Latinitati donata. Cuius Latinum etiam aliud exemplar magis emendatum ex Codice Bibliothecę Virdunenſis è Lotharingia depromptum, ſibique à viro doctiſsimo Frontone Ducęo communicatum, ſuppeditat Cardinalis Baronius in ſuis Annalibus tomo 9. ad ann. Chriſti 811. Petrus inſuper Conſtantinopolitanus Patriarcha in locum Pyrrhi Hæretici ſubrogatus, Hęreticus & ipſe Monothelita, memor tamen Catholicę huiuſce conſuetudinis, vt faciem ſaltem hominis Catholici oſtenderet, Synodicam

ſtatim de fide ſua Romam miſit ad Eugenium Primum; ſed cum ea valde obſcura eſſet, ac perplexa, nec ſatis exprimeret operationes, aut voluntates in Domino noſtro Ieſu Chriſto, minime ſuſcepta eſt; quin conſentientibus in vnum Clero, Populo, ac Senatu, tanta cum Hæreſis deteſtatione ab Eccleſia reiecta fuit, vt nec permitterent ipſum Pontificem Miſſas celebrare, niſi promiſiſſet, ſe nunquam eam ſuſcepturum. *Eugenij temporibus*, inquit Anaſtaſius Bibliothecarius in eius vita, *Petrus Patriarcha Conſtantinopolitanus direxit Synodicam ad Sedem Apoſtolicam iuxta conſuetudinem, omnino obſcuriſsimam, & vltra regulam, nec ſatis declarantem operationes, aut voluntates in Domino noſtro Ieſu Chriſto; & accenſus eſt populus ac Clerus, eo quod talem Synodicam direxiſſet, quæ minimè eſt ſuſcepta, ſed cum maiori ſtrepitu eſt à Sancta Dei Eccleſia proiecta, vt etiam nec eundem Papam dimitteret populus, vel Clerus miſſas celebrare, niſi promiſiſſet ijs ipſe Pontifex, minime eam aliquando ſuſcipere.* Hæc Anaſtaſius. Similiter Petrus Patriarcha Antiochenus, vbi primum Cleri, & populi ſuffragijs fuit electus, Synodicam de more miſit epiſtolam ad Leonem 9. vna cũ fidei Catholicæ profeſsione. Conſtat id manifeſtè (quoniam perijt ea Petri Epiſtola) ex ipſius Leonis litteris ad eundem exaratis,

xaratis, quæ tomo 3. epiſtolarum Decretalium habentur, in quibus de ipſius Petri electione ac Fidei confeſsione ita inquit Leo paulo poſt principium, *Quod ipſe ex ſpecula ſanctæ illius Eccleſiæ*, Antiochenæ, *cui videris deſignatus diuinitus ſpeculator, prudenti oculo conſiderans promotionem tuam ad Epiſcopale faſtigium electione Cleri, & Populi factam, atque fidem tuam ſecundum antiquæ conſuetudinis religioſum, & valde neceſſarium ſtudium, & Apoſtolicæ, & primæ Sedi, cui Deo auctore quamuis indigni præſidemus, annunciare, & exponere curaſti: in quo facto nouerit tua Dilectio, nos plurimum recreatos, & gauiſos in Domino, quia quod maximè oportebat tibi, & Eccleſiæ, cui temporaliter præſides, non diſtuliſti efficere; ſiquidem ab Apoſtolica tua ſede noſtram Apoſtolicam ſedem conſulendo, perpendimus tuam Dilectionem nolle deuiare à Dominico, & omnium ſanctorum Patrum concordi Decreto, quo inuiolabiliter cunctis in toto orbe terrarum Eccleſijs Sancta Romana, & Apoſtolica Sedes caput præponitur, ad quam maiores, & difficiliores cauſæ omnium Eccleſiarum definiendę referantur*. Et paulo poſt, *Sane fidem tuam, quam proprio ſcripto ſummæ, & Apoſtolicæ Sedi expoſuiſti, ſanam, & Catholicam atque Orthodoxam per omnia proteſtamur, & ſicut verè vnicam, & ſalutarem amplectimur, & tuæ Dilectioni vehementer congratu-*

lantes in Domino, eandem noſtram eſſe deuoto corde, & prompto ore profitemur, firmiter enim credo, &c. Sed multo ante Sophronium, Nicephorum, Petrum Conſtantinopolitanum, & Petrum Antiochenum, Protherius Patriarcha Alexandrinus, D. Pauli exemplum ſequutus, retulit ad Leonem primum Pontificem Romanum de fide ſua per Synodicas litteras, petijtque, vt in ea firmaretur; quemadmodum ex ipſius Leonis epiſtola 73. ad Iulianum Choenſem intelligi poteſt, ſic enim de eo ſcribit, *Fratrem Protherium Alexandrinæ Vrbis Epiſcopum gratulor ſatisfactionis plenas de fide ſua ad nos litteras direxiſſe, & manifeſte quidnam teneat indicaſſe, cui me dignam gratiam pro fidei ipſius ſinceritate neceſſe eſt præſtare, vt honorem in nullo ſuæ perdat excellentiæ, ſed ſedis ſuæ priuilegia paternæ antiquitatis exemplo illibata poſſideat.* Quæ ſane Apoſtolica conſuetudo diu retenta robur ac uires habuit ad tuendam in omni Chriſtiana republica Fidei Catholicæ doctrinam. Ex quo enim fidem ſuam cum fide Eccleſiæ Romanæ per Synodicas litteras Apoſtolico more conferre, & fidem ſanam Eccleſiæ Romanæ, tanquam regulam ac normam, Synodicis item litteris deſcriptam, accipere, & habere deſierunt Epiſcopi, in omni fere Oriente interitus inde extitit tũ Prouinciarum, tum inprimis Orthodoxæ

do-

doctrinæ. Ea autem fuit ſemper Hæreticorum omnium ſuperbia, vt nollent cum Pontifice Romano, eiuſque Eccleſia fidei doctrinam conferre: quod crimen etiam in Origene notauit Theophylus Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopus in ſua. 2. Paſchali epiſtola ijs verbis, *In tantum ſe ipſo magiſtro intumeſcens, vt non imitaretur humilitatem Pauli, qui plenus Spiritus ſancto contulit cum prioribus Apoſtolis Euangelium, ne in vacuum curreret, &c.*

Cæterum haſce epiſtolas, quas vel Romanus Pontifex ad Pontificatum primo euectus ad Epiſcopos, vel Epiſcopi recens creati ad Romanum Pontificem de fide ſua exarare conſueuerunt, ex eo arbitror (non enim id liquido conſtat) Synodicas ſeu Synodales fuiſſe nuncupatas, quod aut eam fidei formulam continerent, quam Synodus aliqua concepiſſet ab omnibus obſeruandam; aut eo conſilio ſcriberentur, vt in Synodo publice lectæ orbi tandem vniuerſo promulgarentur. Niſi forte dicere velimus, ob id eo nomine fuiſſe appellatas, quod ipſæ quoque à Synodo emitti ſolerēt: adnotauit ſiquidem Cardinalis Baronius tomo 7. ad ann. Chriſti 591. poſitum illud in more fuiſſe, vt, vbiprimum quis creatus eſſet, vel Pontifex Romanus, vel Patriarcha, vel Metropolitanus, vicinis collectis

Cur Sinodicæ appellatæ huiuſmodi litteræ.

Epiſcopis Synodũ ageret, in qua ſe eſſe fidei Catholicæ cuſtodem tenacissimum declararet, ex eaque tranſmitteret epiſtolam, eiuſdem Catholicæ Fidei teſtem, ad abſentes vniuerſi orbis Epiſcopos. Quod ſi ita eſt, fatendum etiam illud erit, Synodicas ſeu Synodales ob id appellari conſueuiſſe huiuſmodi epiſtolas, quod à Synodo ſolerent emitti.

De Clericis Litteris. Cap. VII.

Romana ſede vacãte Clerus Romanus Summi Pontificis munera explet.

PEruetus ea eſt in Eccleſia conſuetudo, vt Romana Sede vacante, hoc eſt ſublato viſibili vniuerſalis Eccleſię capite, Clerus Romanus, tanquam propinquius membrum capiti adhærens, ipſius capitis munera cumulate expleat, Catholicæque Eccleſiæ vbique locorum poſitæ ſedulo conſulat atque proſpiciat. Quem morem idem Clerus Romanus in epiſtola ad Clerum Carthaginenſem de Cypriani ſeceſſu data expreſsit his verbis, *Cum incumbat nobis*, habetur ea epiſtola inter Cypriani epiſtolas nu. 3. *qui videmur præpoſiti eſſe, vice Paſtoris cuſtodire gregem, ſi negligentes inueniamur, dicetur nobis, quod & anteceſſoribus noſtris dictum eſt, qui tam negligentes præpoſiti erant, quoniam perditum non requiſiuimus, & errantem non correximus, & claudum non colliga-*

ligauimus, & lac eorum edebamus, & lanis eorum operiebamur &c. Id quod etiam ex ijs, quæ anno Chriſti 253. à Romano Clero peracta ſunt, facile poteſt intelligi. Etenim Fabiano, Pontifice Romano Martyrij corona tunc temporis glorioſe decorato, ob eamque rationem Apoſtolica Sede vacante, confeſtim ſubtracti Pontificis onera ſubiuit Romanus Clerus, litterasque ea de re ad Cyprianum Carthaginenſem Epiſcopum per Clementium Hypodiaconum dedit; ne videlicet Carthaginenſem lateret Eccleſiam, quid in totius Eccleſiæ caput patratum eſſet, cuius ea membrum erat, atque adeo, vt ipſemet Cyprianus, qui ob inſtantem perſecutionem receſſerat, ad Martyrium ſummi Paſtoris exemplo inflammaretur. *Cum de exceſſu*, inquit Cyprianus epiſt. 4. ad Romanum Clerum ſcribens, *boni viri*, Fabiani, *collegæ mei rumor apud nos incertus eſſet Fratres chariſſimi, & opinio dubia nutaret, accepi à vobis litteras ad me miſſas per Clementium Hypodiaconum, quibus pleniſſime de glorioſo eius exitu inſtruerer, & exultaui ſatis, quod pro integritate adminiſtrationis eius, conſummatio quoque honeſta proceſſerit: in quo vobis quoque plurimum gratulor, quod eius memoriam tam celebri, & illuſtri teſtimonio proſequamini, vt per vos innoteſceret nobis, quod & vobis eſſet circa præ-*

poſiti

poſiti memoriam glorioſum, & nobis quoque fidei, ac virtutis præberet exemplum, nam quantum pernicioſa res eſt ad ſequentium lapſum ruina præpoſiti, intantum contra vtile eſt, & ſalutare, cum ſe Epiſcopus per firmamentum fidei Fratribus præbet imitandum. Idem Romanus Clerus cum accepiſſet ab eodem Clementio Hypodiacono ſeceſsiſſe Cyprianum, ſolicitus de Carthaginenſi Eccleſia, ſuo deſtituta Paſtore, ad eius Clerum ſubito litteras exarauit, in quibus probata ipſius Cypriani ad tempus ſeceſsione, quo prodiret opportunius, admonet primo Carthaginenſem Clerum officij ſui, deinde inſtruit, quid circa Lapſos, interea dú abeſt Cyprianus, præſtare debeat. Extat hæc epiſtola ex editione Pamelij numero 3. inter Cypriani epiſtolas; quam, licet vni Carthaginenſi Clero inſcriptam, Encyclicam tamen ex eo ſecundum Baronij ſententiam ſupra diximus. cap.4. quod ad eius finem petat Romanus Clerus à Carthaginenſi, vt illius exemplum ad alias Eccleſias tranſmittat per idoneas occaſiones. Ex quo ſanè ipſius Romani Cleri cura, ac vigilantia paſtoralis de totius Eccleſiæ bono, ſede vacante, magis illuceſcit. Eodem tempore Romanus Clerus Cypriani ſententiam de Lapſis per omnia confirmauit, vt patet ex ipſius litteris 30. & 31. ad eundem Cypria-

num

num datis,in quibus nihil ſe noui in re tanta decernere, ſed ſemper ſeruatam in Eccleſia diſciplinam perſcribere profitetur; commendat deinde Cypriani ſtudium, qui Romanæ Eccleſiæ iudicio ſua exhibuerit examinanda atque probanda: Eccleſiaſticã inſuper diſciplinam etiam perſecutionis tẽpore mordicus retinendam affirmat. Quæ quidem præcepta non ſolis Siculis, & Aphris, de quibus mentio in epiſt.31. ſed & vniuerſo Chriſtiano orbi fuiſſe præſcripta, quæ paulo inferius in eadem epiſtola poſita ſunt, manifeſtè declarant, *Aſpice totum orbem*, inquit Romanus Clerus, *penè vaſtatum, & vbique iacere deiectorum reliquias, & ruinas, & idcirco tam grande expeti conſilium, quam late propagatum videtur eſſe delictum; non ſit minor medicina quam vulnus eſt, non ſint minora remedia quam funera &c.* Quin ad euitandam inuidiam odiumque lapſorum, ne videretur ipſe ſolus Clerus Romanus auctor, atque peruulgator ſeueritatis Eccleſiaſticæ, hoc ipſo tempore Romæ conuocatis vicinis Epiſcopis, & ijs qui ex alijs regionibus extorres Romam tanquam ad tutum fidei portum conuenerant; Synodum habuit, in qua plures ſanciti fuere Canones de Lapſis tum coercendis, tum recipiendis; qui deinde Canones ad ſingulas toto orbe diffuſas Eccleſias miſsi fuere, vt

con-

conſtat ex eadem epiſtola 31. ad Cyprianum, & ex ipſius Cypriani epiſtola 52. ad Antonianum. Rurſus anno Chriſti 639. perlatæ fuerunt Romam Scotorum litteræ ad Seuerinum Pontificem Romanum, ſed cum Seuerinus diem ſuum obijſſet, vacaretque tunc ſedes Apoſtolica, Clerus Romanus eas aperuit, & reſpondit de Paſchate Catholico more celebrando, Hæreſique Pelagiana tunc reuiuiſcente impenſe cauenda. Extant harum litterarum fragmenta apud Bedam, & referuntur à Baronio tomo 8. ad ann. Chriſti 639. Plura idem Baronius paſſim in ſuis Annalibus de Cleri Romani cura, & onere paſtorali erga Catholicam Eccleſiam per totum orbem diffuſam, ſublato eiuſdem capite, ſedeque ob eam cauſam Apoſtolica vacante: qua de re nos etiam ſummatim hoc loco iſta adijcere neceſſarium duximus, quò Clericarum litterarum nomen, & vſus magis innoteſceret.

Clericæ litteræ quę.

Clericæ itaque Epiſtolæ erant eæ, quas Romanus Clerus Sede Apoſtolica vacante ſubtracti Pontificis onera ſuſtinēs pro quocunque Eccleſiaſtico negotio exarabat. Conſtat id liquido ex Cypriani epiſtola 4. ad Romanum Clerum data, in qua ea verba leguntur, *Ne quid ex vero, vel ſubtractum ſit, vel immutatum, eandem ad vos epiſtolam authenticam remiſi, vt recognoſcatis, an ipſa*

ſit,

ſit, quam Clementio Hypodiacono perferendam dediſtis; per quam etenim graue eſt, ſi Epiſtolæ Clericæ veritas mendacio aliquo, & fraude corrupta eſt.

Ad harum porro Romani Cleri epiſtolarum exemplum, Clericas appellari poſſe eas omnes exiſtimo, quas cuiuslibet Ciuitatis Epiſcopo deſtitutæ Clerus exarare conſueuit: cuiuſmodi ſunt eæ, quas apud Cyprianum Carthaginenſis Clerus ipſo Cypriano Epiſcopo abſente ad Clerum Romanum, & ad alios non ſemel conſcripſit.

De Confeßorijs Litteris.
Cap. VIII.

CONſueuiſſe olim lapſos, ideſt eos, q aut ſacrificauerant Idolis, aut neceſsitatẽ ſacrificandi pecunia apud magiſtratum redemerant, accepto ob id etiam Securitatis libello, à Confeſſoribus, hoc eſt ab ijs, qui *perſecutionis tempore*, vt Cypriani verbis vtar epiſtola 5. *glorioſa voce Deum confeſſi in carcere detinebantur*, litteras exorare, quibus pacem ab Epiſcopis acciperent, iusque Cõmunicationis recuperarent, tradunt Tertullianus libro ad Martyres cap. 1. & Cyprianus epiſtola 10. 11. 12. & alibi. Hæc autem Pax, iſtudque Communicationis ius, non

Lapſi olim litteras à Cõfeſſorib᷑ exorabãt, vt pacem, ac ius communicationis ab Epiſcopis recuperarẽt.

aliud

aliud videtur fuiſſe, quam relaxatio præſcriptæ ſatisfactionis per Epiſcopum lapſo impoſitæ, atque ad Eccleſiæ communionem ante expletum conſtitutæ pœnitentiæ tempus ob Confeſſorum commendationem admiſsio. Qua de re Beatus Rhenanus ad Tertullianum loco citato, Pamelius ad Tertullianum ibid. & ad Cypriani epiſtolas, & Lindanus in Panoplia Euangelica lib. 4. cap. 73. Porrò cum huiuſmodi litteras complures Confeſſores Lapſis temere concederēt, easque quamplurimi Lapſi importunis precibus à Confeſſoribus extorquerent (de quo Cyprianus per litteras non ſemel conqueſtus eſt) idcirco ſanctisſime cauerunt Patres, qui ad Eliberitanum, ſeu Eliberinum Concilium conuenerant, vt pro Confeſſorijs litteris acciperent Lapſi ab Epiſcopis Communicatorias, quibus videlicet verè Catholici, ac Catholica proinde Communicatione digni agnoſcerentur, *Omnis qui attulerit*, canonis 25. verba ſunt, *litteras Confeſſionis, ſublato nomine Confeſſoris, eo quod omnes ſub hac nominis gloria paſſim concutiant ſimplices, Communicatoriæ ei dandæ ſunt litteræ*. Quod in primo Arelatenſi Concilio canone 9. fuit poſtea confirmatum in hæc verba, *De his, qui Confeſſorum litteras offerunt, placuit, vt ſublatis ijs litteris alias accipiant Communicatorias*. Vt eæ tandem Confeſſoriæ, ſeu Confeſsio-

feſsiōnis, aut Confeſſorum, litteræ dicerentur, quas olim Confeſſores lapſis dabant, quo poſſent ab Epiſcopis Pacem impetrare, iuſque Communicationis recuperare. Quæ cum ita ſe habeant, quomodo ſtare poteſt, quod Garſias Loayſa, vir alioqui doctiſsimus, ad Concilij Spalenſis 2. caput ſeptimum ſcribit, *Confeßorias litteras eas fuiſſe, quæ Confeſſoribus, vt munere ſuo poſſent fungi, dabantur?* Confeſſorię litterę quę.

De Priuatis Litteris.
Cap. IX.

PRiuatas litteras eas fuiſſe appellatas, quas Catholicis Epiſcopis aut ad Heręticos, aut ad Schiſmaticos, aut etiam ad Paganos dare licebat, D. Auguſtinus epiſt. 162. ad Glorium, Eleuſium, Felicem, & ſocios ſcribens, ſignificat cum ait, *Vnde factum eſt, vt etiam ad nonnullos Donatiſtarum Primarios ſcriberemus, non Communicatorias litteras, quas iam olim propter ſuam peruerſitatem ab Vnitate Catholica, quæ toto orbe diffuſa eſt, non accipiunt, ſed Priuatas, qualibus nobis vti etiam ad Paganos licet, quas illi etſi aliquando legerunt, reſpondere tamen ijs ſiue noluerunt, ſiue, vt magis creditur, nequiuerunt; vbi nobis ſatis viſum eſt impleuiße officium Charitatis, quā* Priuatæ litteræ quæ.

non

non ſolum noſtris, ſed etiam omnibus nos debere ſanctus ſpiritus docet. Ex quibus Auguſtini verbis illud etiam apparet, ob eam cauſam exarari conſueuiſſe à Catholicis Epiſcopis huiuſmodi litteras, vt vel Hęreticos ac Schiſmaticos ad Catholicæ Eccleſiæ vnitatem, moresque temperatos ac religioſos deducerent, vel Paganos (hoc eſt Ethnicos, & Idolatras, de qua voce alibi) ad Chriſti fidem conuerterent. Priuatæ porro dicebantur, non quin publicæ eſſent; eas ſiquidem ita exarabant, & Auguſtinus ad Donatiſtas, & alij ad alios, vt & publicas eſſe vellent, & publice ab omnibus legi cuperēt; ſed quod eis publica Catholicæ Communicationis ſymbola, pacis nimirum, ſalutis, ac benedictionis, non liceret apponere.

Priuatæ litteræ cur ita appellatæ.

De Litteris Captiuorum. Cap. X.

MAximam ſemper in ipſius naſcentis Eccleſiæ primordijs curam fideles in eo poſuere, vt fratrum res aduerſæ ſubleuarentur, benigneque fieret quoquomodo indigentibus. Ex quo fraternę charitatis officio illa fuit in Eccleſiam introducta conſuetudo, vt certis ac determinatis temporibus, maxime vero Dominica die in indigentium vſus pecunia colligeretur; quæ pecunię collectio fuit deinde vnico vocabolo *Colle-*

Collectę olim factę in indigentiū vſus.

cta

cta ab Eccleſiaſticis Scriptoribus appellata. Ea autem prima reperitur in Eccleſia facta Collecta, qua Antiocheni fratribus in Iudęa degentibus, fameque laborantibus magna largitate ſubuenerunt; qua de re, *Diſcipuli*, inquit Lucas Actorum cap. 11. *prout quiſque habebat, propoſuerunt ſinguli in miniſterium mittere habitantibus in Iudæa Fratribus, quod et fecerunt mittentes ad Seniores per manus Barnabæ, & Sauli, &c.* Ipſe quidem Paulus in huiuſmodi Collectis indicendis maxime ſolicitus fuit, ſi quidem præcepit Corinthijs, vt in indigentium ſubſidium ſingulis Dominicis diebus Collectas facerent, quod præceptum Galathis etiam prius tradiderat, *De Collectis*, inquit ad Corinthios ſcribens epiſt. prima, cap. 16. *quæ fiunt in Sanctos, ſicut ordinaui Eccleſiis Galatiæ, ita & vos facite; per vnam Sabbati vnusquisque veſtrum apud ſe ſeponat, recondens quod ei bene placuerit &c.* Ex qua Apoſtolica inſtitutione inualuit in Eccleſia mos ille laudabilis Collectarum ſingulis Dominicis diebus inter Miſſarum ſolemnia indicendarum, conferentibus quibuſque quod collibuiſſet, quemadmodum ex ijs Sancti Leonis Papæ ſermonibus, quos *de Collectis* inſcripſit, manifeſte conuincitur. Inde etiam manauit conſuetudo offerendi in Miſſa, quam denotat ea Miſſæ particula, quæ Offertorium appella-

Origo collectæ indicendæ Dominicis diebus in Miſſa.

Oblationum in Miſſa Origo.

tur, quemadmodum tradunt Innocentius Tertius lib. 2. de Myſterio Myſſę cap. 53. Rabanus Maurus lib. 1. de inſtitutione Clericorum cap. 33. Ordo Romanus cap. de Officio Miſſæ, & alij quos citat Io. Stephanus Durantus lib. 2. de ritibus Eccleſiæ cap. 26. Loco autem voluntariarum oblationum, quas in Miſſa fieri conſueuiſſe diximus, ſuſpicatur Ioannes Lorinus in Act. Apoſtolorum cap. 11. ſucceſsiſſe, ſaltem in Italia, vt Concionatores populum ad Eleemoſinā cohortentur; maxime cum iuxta antiquiſsimum Eccleſiæ morem concio non niſi poſt Symboli recitationem haberetur, vt præclare oſtendit idem Stephanus Durantus eodem lib. 2. cap. 25. Laudabilem porro illam, & ab Apoſtolis veluti per manus traditam Collectarum indicendarum conſuetudinem, Conſtantinopoli, vel neglectam, vel intermiſſam, diligentius reſtituendam curauit D. Ioannes Chryſoſt. inſignem ea de re ad populum habens Orationem (*de Eleemoſina, & Collectis*) in qua maiorum ſuorum veſtigijs inſiſtens illud etiam admonuit, Collectam Dominica eſſe faciendam die, meminitque præterea Gazophilatij in vnaquaque Eccleſia poſiti, in quo hæ Collectæ aſſeruarentur. Appellatur autem hoc Eccleſiæ Gazophilatium à Tertulliano in Apologetico cap. 39. Arca; à Cypriano lib.

Origo indicendæ eleemoſinæ in Concionib⁹.

Gazophilatiū Collectarum locus.

Arca etiā appellatur.

lib. de Opere, & Eleemoſinis Corbona; & à Paulino epiſt. 32. Menſa. De vſu vero huiuſmodi Collectæ hæc habet Iuſtinus Martyr Apologia ad Antoninum Pium prope finem, *Cæterum qui copioſiores ſunt, & volunt, pro arbitrio quisque ſuo, quod viſum eſt contribuunt; & quod ita colligitur apud Præpoſitum deponitur, atque inde ille opitulatur pupillis, & viduis, & his qui propter morbum, aut aliquam aliam cauſam egent, quique in uinculis ſunt, & peregre aduenientibus hoſpitibus, et, vt ſimpliciter dicam, indigentium is omnium curator eſt.* Tertullianus quoque eodem Apologetic. cap. 39. *Modicam*, inquit, *vnuſquisque ſtipem menſtrua die, vel cum velit, & ſi modo velit, & ſi modo poſſit, apponit; nam nemo compellitur, ſed ſponte confert: hæc quaſi depoſita pietatis ſunt, nam inde non epulis, non potaculis, nec ingratis voratrinis d ſpenſatur, ſed egenis alendis, humandiſque, & pueris ac puellis re ac parentibus deſtitutis, itemque domeſticis ſenibus, item naufragis, & ſi qui in metallis, & ſiqui in Inſulis, vel in cuſtodijs, duntaxat ex cauſa Dei ſectæ alumni confeſſionis ſuæ fiunt.* Cœterum ſi quæ noua neceſsitas exiſteret, cui conſueta non ſufficeret pecuniæ Collecta, nouam Epiſcopus indicebat, quemadmodum pro Chriſtianorum à Barbaris captorum redemptione Cyprianus factitauit, eiuſque exemplo

Corbona. Menſa.

Noua emergente neceſſitate nouas Collectas indicebat Epiſcopus.

cœteri in Aphrica Epiſcopi, *Cum maximo animi noſtri gemitu*, inquit Cyprianus epiſt. 60. ad Ianuarium, Maximum, & alios Numidiæ Epiſcopos, *& non ſine lachrymis legimus litteras veſtras Fratres chariſſimi, quas ad nos pro dilectionis veſtræ ſolicitudine, de fratrum noſtrorum, & ſororum captiuitate feciſtis*. Et paulo poſt, *In Captiuis Fratribus noſtris contemplandus eſt Chriſtus, & redimendus de periculo Captiuitatis, qui nos redemit de periculo mortis; vt, qui nos de Diaboli faucibus exuit, nunc ipſe, qui manet, & qui habitat in nobis, de Barbarorum manibus exuatur, & redimatur nummaria quantitate, qui nos Cruce redemit, & ſanguine*. Et mox, *Quæ omnia iſtic ſecundum litteras veſtras Fraternitas noſtra cogitans, & dolenter examinans, prompte omnes, & libenter, & largiter ſubſidia nummaria Fratribus contulerunt*. Illud extremo loco addit Cyprianus, *Miſimus autem ſextercia centum milia nummum, quæ in Eccleſia, cui de Domini indulgentia præſumus, Cleri, & Plebis apud nos conſiſtentis collatione collecta ſunt, quæ vos illic pro veſtra diligentia diſpenſabitis*.

Captiuorum litteræ quæ.

Ex quibus omnibus illud tandem manifeſtè conuincitur, Captiuorum litteras fuiſſe illas nuncupatas, quas Epiſcopi pro Captiuorum redemptione exarare conſueuerunt. Id quod etiam ex Concilij Lugdunenſis. 2. capite. 2. intelligitur, in quo ita

habe-

habetur, *Id etiam de Epiſtolis placuit Captiuorum, vt ita ſint Sancti Pontifices cauti, vt in ſeruitio Pontificibus conſiſtentibus, qui eorum manu, vel ſubſcriptione agnoſcat epiſtolæ, aut qualibet inſinuationum litteræ dari debeant, quatenus de ſubſcriptionibus nulla ratione poſſit Deo propitio dubitari, & epiſtola commendationis pro neceſſitate cuiuſpiam promulgata; dies Datarum, & pretia conſtituta, vel neceſſitates Captiuorum, quos cum Epiſtolis dirigunt, ibidem inſerantur*. Hactenus Canon hic adeo quidem corruptus ac deprauatus, vt ſine Manuſcriptorum librorum ope aut ſubſidio nitori ſuo reſtitui nullo modo poſsit, qui tamen huiuſmodi epiſtolarum, & nomen apertè exprimat, & vſum indicet haud obſcurè. Plura earum exempla reperire licet inter Epiſtolas Diui Gregorij tomo 2. Epiſtolarum Decretalium.

De Commonitorijs ſeu Memorialibus Litteris. Cap. XI. & vltimum.

Commonitoriæ, ſeu Memoriales litteræ eæ dicebantur, quibus Legati, alijue Nuncij, quid in ſuſcepta Legatione deberent agere, per ſingula admonebantur. Id quod ex can. 98. Concilij Aphricani liquet, cuius ea verba ſunt, *Commonitoriæ litteræ*, quas

Commonitoriæ ſeu Memoriales litteræ quæ.

quas acceperũt ij, qui à Donatiſtis erant Legati. Vincentius Lirinenſ. lib. aduerſus profanas Nouatorum Hæreſes, *Me vero*, inquit, *in hanc ſententiam, ſubleuandæ recordationis, vel potius obliuionis meæ gratia, Commonitorias mihi met paraſſe ſuffecerit*. Idipſum etiam haud obſcurè colligitur ex ipſa nominis vi ac ſignificatione. Fuerunt autem non ſemel huiuſmodi litteræ vnico vocabulo Commonitorium appellatæ in eundem omnino ſenſum, veluti à Cyrillo ep. 1. ad Succeſſum Iſauriæ Epiſcopum, à D. Auguſtino ep. 129. & 158. & à Sidon. Apoll. lib. 8. in carmine ad Lamprid. Extat etiam illius mẽtio lib. 4. Cod. l. vnica in edicto Imperat. Honorij, Theodoſij, & Arcadij. Formula porro Commonitoriarum prẹterquam quod à Caſsiod. lib. 7. var. ep. 22. proponitur, facile colligi poteſt ex eo Commonitorio, quod Thraſio, & Ennodio Carthaginenſis Concilij Legatis datum fuit. Sed de Eccleſiaſticis epiſtolis omnibus ſatis; vniuerſum earum nunc apparatum perſequamur.

Commonitoriũ appellatæ.

Commonitoriarum formula.

DE

DE ANTIQVO ECCLESIASTICARVM EPISTOLARVM GENERE.

De Vniuerſo Eccleſiaſticarum Epiſtolarum Apparatu,

Liber Tertius.

De Eccleſiaſticarum Epiſtolarum Inſcriptione, ac primo de Nominibus cuique Epiſtolæ premitti ſolitis. Caput Primum.

INſtituto Operi tanquam faſtigium Tertius hic liber imponet, in quo rem cognitione dignam, & quæ in Eccleſiaſticarum Epiſtolarum tractatione non infimum locum obtinet, deſcribendam exponendamq́ue ſuſcepimus, Vniuerſum nimirum earundem Apparatum, hoc eſt Inſcriptionem, Clauſulam, Tabellarios, & ſi quæ ſunt huiuſmodi. Ordiar autem ab Inſcriptione, vt vnde Scriptores earum con-

ſcribendarum, inde ego dicendi initium faciam.

Epiſtolæ Inſcriptionem appello totũ id, quod Epiſtolæ de more præmittitur, Nomina videlicet, ac Salutationem. In Nominibus quidem fuit illud vſu receptum apud omnes tam ſacros, quam profanos ſcriptores, vt in ipſa epiſtolæ fronte bina ſemper ponerentur, Scribentis, & Accipientis, proprio præpoſito etiamſi ad digniorem ſcriberetur, ob eam fortaſſe rationem, quod prima legentis cogitatio ea eſt, ac deſiderium, ſcire a quo ſcripta epiſtola. Quamquam veteri more abrogato is deinde inualuit, vt honoris gratia alienum præponeretur. Illud quoque olim obſeruatum religioſè, vt nuda abſque ornatu, ac ſine blandientibus Titulis Nomina adhiberentur, quemadmodum Symmachus lib. 3. epiſt. 44. ad Siburium ſcribens teſtatur his verbis, *Vis, vt Epiſtolis noſtris more Maiorum nuda nomina præferantur?* Excipio tamen Dignitatis, Profeſsionis, ſeu muneris, ac officij Titulos, quos Nomini adijcere conſueuit Antiquitas.

Bina Nomina cuique epiſtolæ olim præpoſita.

Nuda Nomina Epiſtolis olim adhibita.

Epiſcopos ſanè, ac Romanos Pontifices (quandoquidem de ſolis Eccleſiaſticis nũc mihi agendum eſt, ſuntque ij totius Eccleſiæ caput, ac præcipua membra) ante Conſtantini tempora raro admodum legimus, Titulo

Naſcentis Eccleſiæ primordijs nuda Nomina Ec-

Titulo aliquo fuiſſe honeſtatos, ſiue quod pauciores habeamus illius temporis Eccleſiaſticos Scriptores; quos nominare teſtes ad hanc cauſam liceat, ſiue quod inter ſæuas Cęſarum, ac Tyrannorum in Chriſtianos perſecutiones Epiſcopi, & cœteri Eccleſiæ Paſtores in latebris deliteſcentes ſpecioſa Nomina reſpicere non poſſent. Diuus Cyprianus ijs litteris, quas ad Cornelium, Lucium, & Stephanum Pontifices Romanos dedit, proprio tantum nomine eos compellat; *Cyprianus*, ita inſcribuntur epiſt. 41. 42. 43. 45. 47. 49. 55. & 57. *Cornelio Fratri ſalutem.* Epiſt. 58. *Cyprianus Lucio Fratri ſalutem.* & epiſt. 67. ac 72. *Cyprianus Stephano Fratri ſalutem.* Patres ij, qui in Aphricanam Synodum conuenerant, eidem Cornelio ſcribentes, *Cyprianus*, inquiunt, *Liberalis, Caldonius, Nicomedes, Cæcilius &c. Cornelio Fratri ſalutem;* Extat hæc epiſtola inter Cypriani epiſtolas numero 53. Cornelius ipſe quas dedit ad Cyprianum Epiſtolas, ita inſcripſit, *Cornelius Cypriano Fratri ſalutem.* Epiſcopos quoque ſibi mutuo ſcribentes nuda nomina adhibere conſueuiſſe conſtat ex ijs litteris, quas idem Cyprianus ſcripſit Cœcilio, Epicteto, Rogatiano, Succeſſo, Ianuario, Maximo, & Proculo Epiſcopis. Quin etiam ipſi Confeſſores, (ij nimirum, qui perſecutionis tempore, vt dictum eſt

cleſiaſticis Epiſtolis pręfixa.

ſupra

ſupra lib. 2. capit. 8. ob Chriſtiani nominis Confeſsionem in carcere detinebantur) inter quos multi laici, eidem Cypriano ſcribentes, vel nudum nomen adhibuerunt, vt epiſt. 50. vel Dignitatis tantum addidere, *Vniuerſi Confeſſores*, ea eſt epiſt. 17. Inſcriptio, *Cypriano Papæ ſalutem;* Et epiſt. 26. *Moyſes, Maximus, & cæteri Confeſſores Cypriano Papæ ſalutem*. Quam Inſcriptionem vſurpauit etiam Clerus Romanus eidem Cypriano ſcribens epiſtola 30. & 31.

Papæ nomen antiquitus Epiſcopis omnibus commune.

Quod autem attinet ad Papæ nomen Cypriano Epiſcopo tributum, obiter hoc loco admonebo, quod alibi fuſe probaui, illud olim fuiſſe Epiſcopis omnibus commune. Quod ſatis exploratum eſt non ſolum ex citatis Confeſſorum, ac Cleri Romani ad Cyprianum Epiſtolis, verum etiam ex Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino, Rufino, Prudentio, Sulpitio, Sidonio, Venantio, & alijs. Hinc & Gratianus, vetuſtam hanc ſequutus appellationem, Martinum Braccarenſem Epiſcopum paſsim Papam vocitat. Quamquam non negarim, frequentius, ac peculiarius illud idem nomen tribui conſueuiſſe Romano Pontifici, atque adeo procedente tempore obtinuiſſe communem vſum, vt vni Romano Pontifici tribueretur. Vnde cum Schiſmatici in odium eiuſdem Romani Pontificis ſuperbè ſibi nomen

Papæ nomen quãdo & cur

men illud vindicarent, Gregorius huius nominis Septimus collecta Romæ Synodo id in primis conſtituit, vt Papæ nomen vnicum eſſet in vniuerſo Christiano orbe, vnique Romano Pontifici tribueretur, quemadmodum ex Manuſcripto Epiſtolarum ipſius Gregorij 7. Regiſtro, in Bibliotheca Vaticana aſſeruato, preclare aduertit Cardinalis Baronius in Notis ad Martyrologiũ ad diem 10. Ianuarij. Poſtquam vero Conſtantinus Chriſtianam Religionem palam profeſſus eſt, paxque reddita eſt Eccleſiæ, Epiſcopis etiam ac Romanis Pontificibus ſummi honores haberi cœperunt. Itaque Eccleſiaſtici ordinis Viri tum à ſe inuicem, tum ab alijs honorificis nominibus fuere inſigniti: nam D. Hieronymus non tantum Damaſum Romanum Pontificem, *Dominum* ac *Beatiſſimum* appellauit, ſed & D. Auguſtinum, à quo ipſe viciſsim *Dominus & Sanctiſſimus* fuit nuncupatus. Quamquam nec deerant ea ætate, qui priſcum retinentes morem, Epiſcopos, ad quos ſcribebant, nullo adiecto Epitheto compellabant, vt D. Ambroſius, cuius fere huiuſmodi ſunt Epiſtolarum Inſcriptiones, *Ambroſius Fœlici Epiſcopo Comenſi ſalutem*, item, *Sabino Epiſcopo ſalutem, &c.* In Baſilij quoque ac vtriuſque Gregorij Epiſtolis nuda reperiuntur ſine ornatu nomina, præterquam Profeſsionis, aut

Rom. tãtum Pontifici tributum.

Tituli quandonã apud Eccleſiaſticos inſcribẽdo adhiberi cœpti.

Di-

Dignitatis, vt ἐπισκόπῳ, ἀσκητῇ, μονάζοντι, &c. nam illa epitheta μεγάλῳ, & θεολόγῳ à poſteris adiecta fuiſſe adſeueranter adfirmarim. Paucisſimas tamen Baſilij Epiſtolas excipio, ac fere eas tantum, quas ad Occidentis Epiſcopos dedit, ob nonnullorum videlicet, vt ipſe ait, τὴν ἀλυτηκὴν, ὀφρύν.

Tituli aliquot præclariores Romanis olim ac alijs etiam Pōtificibus tributi.

Enim vero, quando in Eccleſiaſticorum titulorum mentionem incidimus, licet alterius id loci peculiare videatur, placet tamen præclariores aliquot titulos ſaltem indicare, quibus fuere olim Romani ac cœteri Pontifices honeſtati. In Concilio Chalcedonenſi Actione 3. leguntur tres Epiſtolæ trium diuerſorum Græcorum ad Leonem Pontificem Romanum, in quibus appellatur Leo, *Archiepiſcopus vniuerſalis, & Magnæ Romæ Patriarcha*. Cuius tituli plura nobis ſuppeditant exempla Vuilhelmus Damaſus Lindanus in ſua Panoplia Euangelica lib. 4. cap. 93. Cardinalis Baronius tomo 6. Annalium, & Bellarminus lib. 2. de Romano Pontifice cap. 31. Conſtantinus Auguſtus Imperator, *Patrem Patrum* appellauit Sylueſtrum Romanum Pontificem; quo titulo inſigniti quoque fuere Damaſus à Stephano Carthaginenſi, Hormiſda à Synodo veteris Epiri, à Synodo Conſtantinopolitana, à Ioanne Epiſcopo Nicopolitano, & ab Andrea Epiſcopo Preualitano, Fœlix ab Aegy-

Epiſcopus Vniuerſalis appellatus Rom. Pōtifex.

Pater Patrum etiā nūcupatus.

ptijs

ptijs Pontificibus, Hadrianus ab Hincmaro Rhemenſi Archiepiſcopo, & ab Iuone Carnothenſi Vrbanus. Neque illud hoc loco omiſerim, quod de Gregorio Nyſſę quondam Epiſcopo habetur in Concilio Nicæno 2. fuiſſe videlicet illum ab omnibus ſemper, *Patrem Patrum* appellari ſolitũ; ſic enim Patres in ea Synodo congregati to. 5. ſeſsione 6. *Gregorius Nyſſæ Epiſcopus Pater Patrum ab omnibus appellatus, etc.* Sidonius quoq; lib. 6. Epiſt. 1. Lupum Tricaſsinum Epiſcopum *Patrem Patrum* appellat, & *Epiſcopum Epiſcoporum*. Quem vltimum titulum, licet vnius Romani Pontificis peculiarem fuiſſe affirmet Cardinalis Baronius tomo 2. ad ann. Chriſti 216. ex Tertulliano libro de Pudicitia. cap. 1. alijs tamen quam Romanis Pontificibus accommodatum fuiſſe ſatis conſtat, tum ex Sidonio vbi ſupra, tum ex Clementis Epiſtola ad Iacobum Fratrem Domini, cuius ea eſt Inſcriptio, *Clemens Iacobo Fratri Domini, & Epiſcopo Epiſcoporum regenti Hebræorum ſanctam Eccleſiam Hieroſolymis*. Quin etiam Ariani conſueuerunt ſuos Imperatores *Epiſcopos Epiſcoporum* appellare, quemadmodum tradit Lucifer Epiſcopus Caralitanus in eo libro, qui inſcribitur, *De eo quod moriendum ſit pro Dei Filio*, Luciferi verba ſunt hæc prope finem, *Quid ad hæc respondes Conſtanti? cui crebro*

Alijinter dum Epiſcopi eodem titulo honeſtati.

Epiſcopus Epiſcoporũ vocatus Romanus, & alij quoq: Pontifices.

Imperatores etiã interdũ ab Arianis Epiſcopi Epiſcoporũ nuncupati.

ſunt

ſunt acclamantes Ariani dogmatis tui Epiſcopi, Epiſcopum te eſſe Epiſcoporum. Præterea *Maximos Pontifices, ſummosque Sacerdotes* nuncupatos fuiſſe quoſcunque Epiſcopos, manifeſtè colligitur ex Tertulliano, ac D. Auguſtino. Tertulliani verba ſunt. lib. de Baptiſmo. capit. 17. *Dandi quidem*, baptiſmum, *habet ius ſummus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus, dehinc Presbyteri, & Diaconi.* D. vero Auguſtinus quæſt. 10. ex vtroque mixt. *Quid*, inquit, *eſt Epiſcopus, niſi primus Preſbyter, hoc eſt ſummus Sacerdos?* Quod æque aperte expreſſerunt, ſicut & de Titulo, *Pontifex Maximus*, Euſebius Papa in epiſtola ad Epiſcopos Tuſciæ, & Campaniæ ſub finem, Damaſus ad Proſperum, Patres in Concilio Spalenſi 2. congregati. cap. 7. Carolus Magnus. lib. 7. capit. 323. & 324. Zoſimus Papa ad Heſichium Epiſcopum Salonitanum, Gelaſius in Epiſtola ad Epiſcopos Lucaniæ. cap. 8. Sidonius lib. 4. epiſt. 9. & 25. & lib. 5. epiſt. 5. & 6. & Gaudentius Brixianus ſermone de ſui Ordinatione.

Pontifices Maximi, & ſũmi Sacerdotes appellati quicũq; Epiſcopi

Quamquam obtinuit deinde in Eccleſia loquendi, ac ſcribendi conſuetudo, vt vnus Romanus Epiſcopus diceretur *Maximus Pontifex, ſummusque Sacerdos*; Factumque tandem eſt, vt is quoque ſolus *Beatiſſimi, atque Sanctiſſimi* Titulos retineret, cæteris Epiſcopis *Reuerendiſſimi*, aut *Venerabilis*

Solus Rõ. Pontifex deinde Põtificis Maximi ſummiq; Sacerdotis titulo inſignitus.

lis honore contentis.

Iam vero, vt ab alieno ad proprium nomen deſcendamus; conſtat manifeſtè ex ipſis Epiſtolarũ Inſcriptionibus, illud quoque olim nudum, ac ſine titulis, præterquam Profeſsionis, vt diximus, ſeu Officij, ac Dignitatis, conſueuiſſe ab Epiſcopis, ac Romanis Pontificibus adhiberi. Id tamen excipio, cum aliquid publicè in vniuerſali Eccleſia edicendum erat; tunc enim adijciebant Romani Pontifices titulum *Epiſcopi Epiſcoporum*, aut *Vniuerſalis*, quemadmodum præclarè colligit Cardinalis Baronius tomo 2. ad ann. Chriſti 216. ex ijs Tertulliani verbis, quæ habentur lib. de Pudicitia. cap. 1. *Audio Edictum eſſe propoſitum, & quidem peremptorium, Pontifex ſcilicet Maximus, Epiſcopus Epiſcoporum dixit &c.* Quo Edicto ſtatutum fuit, quemadmodum ſcriptum reliquit idem Baronius, vt pœnitentes fornicarij in Eccleſiam reciperentur. Ob hanc etiam rationem puto, Xiſtum, Victorem, Pontianum, ac Stephanum Romanos Pontifices eundem in ſuis Epiſtolis Titulum aliquando vſurpaſſe. Quoniam deinde Conſtantinopolitani Epiſcopi propter Regiæ vrbis Maieſtatem, & inſitam leuitatem, ac ſuperbiam, ſpecioſum illum *Vniuerſalis* Titulum in ſuis Epiſtolis ſibi arrogare cœperunt, idcirco Romani Pontifices

Propriũ etiam nomen nudum ac ſine titulis olim Epiſtolis præfixũ.

Romani Põtifices interdũ Vniuerſalis, ac Epiſcopi Epiſcoporũ titulum vſurpabant.

Cur & quando Vniuerſalis titulũ damnarint Romani Põtifices.

dam-

damnata tam inſana Græcorum arrogantia decreuerunt, vt nullus omnino amplius titulum illum vſurpare auderet; quod ex Pelagij, ac D. Gregorij Epiſtolis manifeſtè conuincitur. *Nullus Patriarcharum*, ait Pelagius epiſt. 2. ad omnes Epiſcopos, *Vniuerſitatis vocabulo vnquam vtatur, quia ſi vnus Vniuerſalis dicitur, nomen cæteris derogatur; ſed abſit hoc à Fidelibus, hoc ſibi velle quemquam arripere, vnde honorem Fratrum ſuorum imminuere ex quantulacunque parte videatur. Quapropter Charitas veſtra neminem vnquam etiam ſuis in Epiſtolis Vniuerſalem nominet, ne ſibi debitum ſubtrahat, cum alteri honorem infert indebitum.* D. autem Gregorius. libr. 7. epiſt. 30. cum huiuſmodi *Vniuerſalis* titulo ab Eulalio Alexandrino fuiſſet honeſtatus, ita reſpondit, *Ad me ipſum, qui prohibui, direxiſti ſuperbæ appellationis verbum, Vniuerſalem Papam me dicens, quod peto mihi dulciſsima ſanctitas veſtra vltra non faciat, quia vobis ſubtrahitur, quod alteri plus quàm ratio exigit, præbetur.* Quin idem Gregorius, illius Conſtantinopolitanæ ambitionis occaſione, vt eam magis ſuæ exemplo humilitatis coargueret, *Seruum* ſe *ſeruorum Dei* in ſuis litteris tum nuncupare inſtituit; quem morem alij deinceps Romani Pontifices conſtanter ſeruarunt; quemadmodum ſcriptum reliquere Martinus Mona-

D. Gregorius ſe primus Seruum ſeruorũ Dei vocauit, & inſcripſit.

nachus in ſua Chronica (quam in hanc rem citant, *Martinianam*, eam appellantes, Gloſſatores ad Proęmium libri 6. Decretalium Archidiaconus, & Ioannes Andreas ibidē) Aluarus Pelagius lib. 2. de Planctu Eccleſiæ cap. 13. Andreas de Anania ad proęmium libri primi Decretalium, & Gilbertus Genebrardus in ſua Chronographia ad an. Chriſti 604. in Gregorio Magno. Verum apertius idipſum expreſsit Ioannes Diaconus in ipſius Gregorij vita lib. 2. cap. 1. his verbis, *Mox, vt Summum Pontificium fœliciſſimæ Romanæ Vrbis Chriſto mortalibus conſulente ſortitus eſt*, Gregorius, *ſuperſtitioſum Vniuerſalis vocabulum, quod Ioannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus inſolenter ſibi tunc temporis vſurpabat, ſub diſtrictiſſimæ interminationis ſententia refutauit; & primus omnium ſe in principio epiſtolarum ſuarum ſeruum ſeruorum Dei ſcribi ſatis humiliter definiuit, cunctiſque ſuis ſucceſſoribus documentum ſuæ humilitatis, tam in hoc, quam in mediocribus Pontificalibus indumentis, quod videlicet hactenus in Sancta Eccleſiæ Romana conſeruatur, hæreditarium reliquit.* Quod etiam compendioſe, & à Ioanne Diacono fortaſſe mutuatus, anonymus quidam eiuſdem Gregorij vitæ ſcriptor, quem nuper Henricus Caniſius vir doctiſsimus, & ſedulus antiquitatis indagator, in 6. ſuarum Antiquarum lectio-

num tomo ex membranis M. S. Monaſterij Petruſiani in lucem edidit, ita perſtringit, *Mox ergo vt Summum Pontificium fœliciſſimæ Romanæ vrbis, Chriſto mortalibus conſulente, Gregorius ſortitus eſt, ſuperſtitioſum Vniuerſalis vocabulum refutauit, & primus omnium ſe in principio Epiſtolarum ſuarum ſeruus ſeruorum Dei, ſcribens ſatis humiliter definiuit.* Quamquam Euſebius Emiſſenus, qui ducentis, & amplius annis ante Gregorium vixit, Pontificem Romanum conſueuiſſe tunc temporis, *Seruum ſeruorum Dei*, in ſuis ſe Epiſtolis appellare aſſerit. Etenim Homilia in Dominicam 21. poſt Pentecoſtem, *Vnde*, inquit, *& Romanus Epiſcopus Epiſcoporum omnium maximus ſeruum ſeruorum Dei in ſuis epiſtolis ſe eſſe ſcribit.* Adeo autem religioſe ac conſtanter hanc ſiue Gregorij, ſiue prædeceſſorum Pontificum appellationem, *Seruus ſeruorum Dei*, reliqui deinceps Pontifices vſurparunt ac retinuerunt, vt ſi quod Papale Reſcriptum ea careat, pro adulterino habeatur, ſicut adnotarunt Ioannes Andreas de Anania ad proœmium libri primi Decretalium, & poſt eum Gaſpar Schoppius in ſuis Adnotationibus ad Bullam Indictionis Sancti Iubilæi Clementis VIII.

Papale Reſcriptũ pro adulterino habitum, ſi ea careat appellatione, ſeruus ſeruorum Dei.

Sed alios etiam Epiſcopos quam Romanos eandem adhibere conſueuiſſe in ſuis lit

teris

teris appellationem, apertè indicant Augustini, Deſiderij, ac Elegij Epiſcoporum litteræ. Ac D. quidem Auguſtinus epiſt. 107. ad Vitalem Carthaginenſem ſcribens, *Auguſtinus Epiſcopus*, inquit, *Seruus Chriſti, & per ipſum ſeruus ſeruorum ipſius, Vitali fratri in ipſo ſalutem*. Et epiſt. 121. ad Probam viduam, *Auguſtinus Epiſcopus ſeruus Chriſti ſeruorumque Chriſti, religioſæ famulæ Dei Probæ in Domino Dominorum ſalutem*. Deſiderius vero Epiſcopus Cadurcenus (cuius epiſtolas idem Caniſius edidit tomo 5. antiquarum Lectionum) ita ſuam inſcribit Epiſtolam ad Sigebertum Regem, *Domino glorioſiſſimo atque pijſſimo Sigeberto Regi Deſiderius ſeruus ſeruorum Dei*. Et ad Dadonem epiſcopum, *Sancto ac præferendo Apoſtolico Patri Dadoni Papæ Deſiderius ſeruus ſeruorum Dei*. Et ad Dagobertum Regem, *Domino glorioſiſſimo, atque pijſſimo Dagoberto Regi Deſiderius ſeruus ſeruorum Dei*. Qua appellatione vtitur etiam ſcribens ad Grimoaldum Rectorem Palatij, ad Sulpitium Patriarcham, & ad alios. Elegius quoque Epiſcopus ipſi Deſiderio ſcribens, *Domno*, inquit, *ſemper ſuo atque Apoſtolico Patri Deſiderio Papæ Elegius ſeruus ſeruorum Dei*.

Alij etiã Epi ĩ litteris ſe ſeruos ſeruorũ Dei inſcribebant.

Etiam illud adiungam, ſolitos aliquando fuiſſe Epiſcopos, vt cunctis modeſtiæ ac humilitatis exemplum præberent, proprio no-

Peccatoris titulũ proprio nomini

nomini, Peccatoris titulum adiungere: atque ita legimus feciſſe frequenter eundem Cadurcenæ Ciuitatis Epiſcopum Deſiderium, ſiquidem ad Grimoaldum Palatij Rectorem litteras dirigens, *Domino*, inquit, *Illuſtri Grimoaldo Maiori domus Deſiderius Peccator*. Et ad Medoaldum Treuericæ vrbis Epiſcopum, *Domino ſemper ſuo Medoaldo Papæ Deſiderius Peccator*. Et ad Codulphum, *Domino Illuſtri Codulpho Deſiderius Peccator*. Quem titulum vſurpauit etiam epiſt. 9. ad Abbonem, epiſt. 11. ad Paulum, 13. ad Cœſarium, & 15. ad Fœlicem Narbonenſem Epiſcopum. Ado quoque Viennenſis in ea epiſtola, quam præmiſit ad Martyrium Sancti Deſiderij Epiſcopi Viennenſis, *Ado Peccator*, ait, *& humilis Epiſcopus Viennenſis Dilectiſſimis fratribus, &c.* Quam ſane laudabilem in ſcribendo conſuetudinem pleroſque alios Epiſcopos retinuiſſe declarant Petri Damiani Cardinalis Epiſtolæ, à Conſtantino Caietano viro eruditiſsimo nuper editæ, & Auiulfi, Sulpitij, Rauracij, Pauli, Abbonis, Conſtantii, Veri, Galli, Felicis, & aliorum Epiſcoporum litteræ, quæ omnes extant eodem V. Henrici Caniſij Antiquarum Lectionum tomo.

Subijciebant interdum Epi i ſcribendo.

Nec videtur hoc loco ſilentio prætermittendum, quoniam in Peccatoris mentionē incidimus, conſueuiſſe interdum Epiſcopos,

Cōcilijs ſubſcri-

pos,

pos, vt qui ſe ipſos indignos iudicabant, qui ſe Epiſcopos appellarent, in Conciliorum etiam ſubſcriptionibus Peccatoris nomen adhibere. *Thalaſſus Peccator*, ita ſe ſubſcripſit hic Epiſcopus, Turonenſis primi Concilij Canonibus, *relegi, ſubſcripſi, & conſenſi*. Patres etiam in 2. Turonenſi Synodo congregati, eius Capitula admittentes ac confirmantes, ſe in hunc modum ſubſcripſere, *Prætextatus Peccator relegi, conſenſi, & ſubſcripſi. Germanus Peccator conſenſi, & ſubſcripſi. Felix Peccator conſenſi, & ſubſcripſi. Caletricus Peccator conſenſi, & ſubſcripſi. Domitianus Peccator conſenſi, & ſubſcripſi. Victurius Peccator conſenſi, & ſubſcripſi, &c.*

bētes Peccatoris nomen adhibebant aliquando Epi.

De Salutatione. Cap. II.

HActenus de Nominibus ac Titulis, quæ Eccleſiaſticis olim Epiſtolis de more præmitti ſolebant. Nunc quomodo in ijſdem Salutem Veteres pij impertirent, videndum eſt. D. Paulus ac cœteri Apoſtoli, haud obliti quidem conſuetudinis Hebræorum, qui Pacem optabant ſalutantes, quemadmodum Tertullianus lib. 5. aduerſus Marcionem cap. 5. ſcriptum reliquit in hæc verba, *Nam, & hodie Iudæi in Pacis nomine appellant, & retro in ſcripturis ſic ſa-*

Gratiam & Pacẽ pro ſalute optabãt Apoſtoli in ſcribẽdo.

lutabant, Sed maxime memores Gratiæ Dei, cuius ipſi Euangelizatores erant, vt ait ibidem Tertullianus, Gratiam, & Pacem nectentes, hanc ſalutandi formulam concepere ac ſuis præfixere epiſtolis, *Gratia vobis, & Pax à Deo Patre noſtro, & Domino Ieſu Chriſto.* Quam deinde ab Apoſtolis mutuatum eſſe, ſuamque feciſſe D. Ignatium Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopum, præterquam quod liquido conſtat ex ipſa earum Ignatij epiſtolarum Inſcriptione, quas ad Heronem Antiochenæ eccleſiæ Diaconum, ad Tarſenſes, & ad Philippenſes dedit; teſtatur etiam diſertis verbis Gregorius Papa lib. 4. epiſt. 37. ad Anaſtaſium Antiochenum epiſcopum ſcribens, inquit enim, *Amen, Gratia, Quæ verba de ſcriptis veſtris accepta idcirco in meis epiſtolis pono, vt de Sancto Ignatio veſtra Beatitudo cognoſcat, quia non ſolum veſter eſt, ſed etiam noſter; ſicut enim Magiſtrum eius Apoſtolorum Principem habemus communem, ita quoque eiuſdem Principis Diſcipulorum nullus noſtrum habeat priuatum.* Si quis tamen hunc Gregorij locum potius referre velit ad *Gratiam*, quam adhibebat D. Petrus pro ſuarum epiſtolarum Concluſione, quemadmodum in epiſtola ad electos aduenas diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, &c. fecit, inquiens, *Gratia vobis omnibus, qui eſtis in Chriſto Ieſu, Amen,*

Eadẽ ſalutandi formula à D. Ignatio vſurpata.

Qua-

Quaue vti ſolebat Diuus Paulus pro vera ac germana Epiſtolarum ſuarum nota ac ſigno, vt ipſemet teſtatur ſcribens ad Theſſalonicenſes epiſt. 2. cap. 3. in hæc verba, *Salutatio mea manu Pauli, quod eſt ſignum in omni epiſtola; ita ſcribo, Gratia Domini Noſtri Ieſu Chriſti cum omnibus vobis, Amen*, Huic libenter aſſentiar, præſertim cum meminerim, in eundem ſenſum accepiſſe me ſupra lib. 1. cap. 5. eadem Gregorij verba. Apoſtolos deinde ac D. Ignatium imitati ſunt Polycarpus Martyr ad Philippenſes ſcribens, Martialis ad Burdegalenſes, & ad Tholoſſanos, & plerique alij, quos hoc loco recenſere haud operæ pretium puto. Non erit tamen inutile id hoc loco adnotare, quod præclare aduertit Coſmas Magalianus in ſuis ad caput 9. Epiſtolę Diui Pauli ad Titum Commentarijs, Societatis Ieſu Patres Pauli morem in ſcribendo imitantes, epiſtolas ſuas ab ijs verbis auſpicari, *Gratia, & Pax Chriſti*; idipſumque ab alijs etiam Religioſis obſeruari ſubdit.

Idipſum nunc etiã à pluribus Religioſis fit.

Græcorum certe Patrum ſolemnis in ſcribendo ſalutandi formula ea fuit (vt videre eſt paſsim in eorum epiſtolis) ἐν Κυρίῳ χαίρειν, aut ἐν Κυρίῳ θεῷ χαίρειν, aut ſimpliciter χαίρειν. Diui quidem Baſilij tempore moris fuiſſe, præponere epiſtolis τὸ χαίρειν, atque adeo ipſum Baſilium conſueuiſſe eandem vocem

Græcorum Patrum in ſcribẽdo ſalutãdi formula.

in ſcribendo vſurpare (licet ea in editis eius epiſtolis nuſquam reperiatur) haud abſurde colligo ex ea epiſtola, quam ad Monachum lapſum ſcripſit, cuius illud eſt initiū χαίρειν ὀ λέγομεν, ὅτι ὀυκ ἔστι χαίρειν ἐν τοῖς ἀσεβέσιν, hoc eſt, *Salutis gaudium non dicimus, quoniam in iſtiuſmodi impijs gaudere non licet*. Fruſtra enim rationem redderet Baſilius, cur Monacho lapſo ſcribens eam vocem prætermitteret, niſi, & ipſe conſueuiſſet eam vſurpare, & aliorum id etiam mos tunc temporis fuiſſet. Vel vnus autem Chriſoſtomi locus (quamquam ſunt & alia eius rei argumenta) ſatis, abundeque ſufficeret ad id, de quo agimus, probandum ſolitos nimirum fuiſſe Græcos Patres, τὸ χαίρειν ἐν Κυρίῳ, hoc eſt, *Salutem in Domino* ſuis epiſtolis præfigere. Inquit enim Chriſoſtomus Homilia 9. in caput 3. Epiſtolæ D. Pauli ad Coloſſenſes, *Siue edas, Siue bibas, ſiue nubas, ſiue peregre proficiſcaris, omnia in nomine Dei facias, hoc eſt ipſum adiutorem inuoces: ac tum demum agenda contingas, poſtquam ipſum primum precatus fueris. Vis aliquid loqui? Nomen Domini præſtrue: propterea & nos Epiſtolis noſtris nomen Domini præſtruimus. Vbicunque fuerit nomen Domini, ibi omnia ſunt proſpera; ſi enim Conſulum nomina ſecuritatem Litteris addunt, multo magis Chriſti nomen, &c.* Hactenus Chriſoſtomus.

Salutem in Domino Epiſtolis ſuis præfigebāt olim Greci Patres.

Et

Et ſane Domini nomen (vt hoc quoque addã à re ꝑpoſita minime alienum) non Epiſtolis ſolum, ſed quibuſcunque alijs ſcriptis præponebãt Veteres Pij. Hinc Auguſtinus ſuos de Trinitate libros ita eſt orſus, *In Nomine Domini ſuſceptum opus aggredimur*. Iuſtinianus etiam Imperator ſuis Inſtitutionibus illud dedit initium, *In Nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, &c.* Quod quidem Inſtitutionum initium in omnibus Manuſcriptis Codicibus ſe reperiſſe teſtatur Ludouicus Ruſſardus ad earum Prœmiũ: & hoc ideo addidi, vt appareat, quam bene fecerint, & quam periti fuerint Antiquitatis ij, qui à Iuſtiniani Inſtitutionibus initium illud ſuſtulerunt. Dagobertus quoque Francorum Rex Teſtamentum ſuum, quod extat apud Aimoinum lib.4. de Geſtis Francorum cap.30. ita orditur, *In Nomine Trinitatis Domini Dei omnipotentis*. Et Hadoindus Cenomannicæ vrbis Epiſcopus, vt eſt apud Briſſonium lib.7.de formulis Romanorum, ſuum condidit cum hoc principio; *Nos pariter veterem morem retinentes in condendis teſtamentis, ita incipimus, In Nomine Domini, &c.* Quæ Hadoindi verba, & antiquiſsimam in Eccleſia fuiſſe huiuſmodi conſuetudinẽ, & ſuis etiã temporibus conſtanter retentã declarant. Nos quoque nũc eã paſsim in noſtris teſtamentis vſurpamus.

Domini nomen quibuscunque ſcriptis olim præpoſitum.

Hoc

Crux olim Epiſtolis, & alijs ſcriptis præ notata.

Hoc loco tacitus præterire non poſſum laudabilem illum morem, quem communiter hodie à Catholicis ſeruari videmus, prę-notandi Crucem in Epiſtolarum, aliorumq́; ſcriptorum fronte: qui vt recte, & pie retinetur, ita non hæri natus, ſed à primis Chriſtianis acceptus credendus eſt: antiquiſsima ſiquidem, nec obſcura extant adhuc illius veſtigia in multis veterum Inſcriptionibus, quas ſuppeditat Inſcriptionum totius orbis Collector in vaſto illo ſuo ac laborioſo opere. Illuſtrant etiam morem hunc illa Conſtantini, Theophili, Baſilij, Caroli Magni, Ludouici Pij, Arnulphi, & aliorum Regum, ac Imperatorum numiſmata, quæ Cruce conſignata profert vir doctisſimus ac eruditisſimus Antonius Auguſtinus Dialog. 6. 7. & 8. de antiquis Numiſmatis. Atq; huc referendum videtur, quod D. Chriſoſtomus oratione, *quod Chriſtus ſit Deus*, in hæc verba ſcribit, *Crux vbique fulget, & ſparſa eſt in pauimentis domorum, in culminibus, in Libris, in Ciuitatibus &c.* Eodemque pertinet, quod ait Balſamon ad canonem 13. Synodi Carthaginenſis, *Septuageſima 2. Imperatoris Domini Leonis ſapientis Nouella ſtatuit, vt quodcunque ſcriptum, in quo venerandæ, & viuificæ Crucis figura per manum eius, qui ipſum compoſuit, ſcripta eſt, firmum, & immutabile maneat.* Quamquam non ignoro, acceptum

ab

ab alijs, nec abſurde quidem, hunc Balſamonis locum, & relatum ad eam Crucem, quæ ſubſcriptionis loco olim adhibebatur, de qua nos infra ſuo loco. Apertè autem vſitatum hunc in Epiſtolarum fronte Crucẽ prænotandi ritum expreſsit Leo IX. Pontifex Maximus, qui ad Gũderadam Malgoldi Comitis filiam, qui primus Monaſterium ſanctæ Crucis Vuerdunenſis fundauit, ſcribens, ita ſuam orditur epiſtolam, ✠ *Leo Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Gunderadæ Dilectæ in Chriſto filiæ &c.* Quin extant apud Martinum Cruſium libro 4. TurcoGræciæ Calliſti Metropolitæ Rhodij epiſtolæ 16. & 17. ad Conſtantinopolitanum Patriarcham, quæ nullam aliam habent Inſcriptionem, quam tres Cruces in hunc modum, ✠ ✠ ✠ idque factum fuiſſe recepto more teſtatur is, qui hanc adiecit adnotationem, ὅτι πρὸς πατριάρχην γράφουσι σταυρῶν τύπους ἐπιγράφουσι συνηθείᾳ, hoc eſt, *quando ad Patriarcham* Conſtantinopolitanum *ſcribunt* Metropolitæ Rhodij *Crucis figuras ex conſuetudine ſuperinſcribere ſolent*.

Amplius conſueuerunt aliquando Veteres ijs, quæ ſcribebant, Chriſti nomen præfigere hiſce duobus Græcis elementis X. P. expreſſum in hanc formã, vt indicant manifeſte Inſcriptiones eæ, quas Romæ alibique repertas refert in hanc rem idem Inſcri-

Chriſti nomen antiquitus ſcriptis non rarò præfixum, ijs

elementis X. P. expreſſum. ſcriptionum totius orbis Collector in ſuo opere. Videtur autem à Magno Conſtantino mos hic ad poſteros manaſſe; is namque primus fuit, qui militare vexillum Imperatorium, ad Crucis exemplar ſibi cœlitus oſtenſum, in veræ Crucis formam commutauit, addito Chriſti nomine duobus illis Græcis elementis expreſſo, vt eſt apud Euſeb. in eius vita lib. 1. cap. 25. Gelaſium Cyzicenũ lib. 1. Actorum Concilij Nicæni cap. 5. Socratem, Sozomenum, Nicephorum, & alios. Eius ritꝰ origo. Quod ſignum cum deformaſſet impius Deſertor Iulianus, & abrogaſſet, teſte Sozomeno lib. 5. cap. 16., ſtatim reſtituere Gratianus, & Valentinianus, vt Auctor eſt D. Ambroſius lib. 2. de fide ſub finem; eoque deinde ſunt vſi plures alij Imperatores, vt Theodoſius ſenior, ac iunior; Honorius, ac Stilico, quemadmodum tradidere Theodoretus lib. 5. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 24. & D. Ambroſius epiſt. 29. Extant etiam apud Cardinalem Baronium in Additionibus tomi 5. ad ann. Chriſti 420. & 423. iunioris Theodoſij, ac Honorij Numiſmata Chriſti nomine in eandem formam conſignata. De Stilicone autem ita cecinit Prudentius,

Cecinere tubæ, prima haſta Draconis
Præcurrit; quæ Chriſti apicem ſublimior effert,

per primam Draconis haſtam Chriſti apicẽ efferentem intelligens Labarum, in quo Chri-

Chriſti nomen. A bello deinde ad res pacis tranſijt mos iſte; vnde, & in ſcribendo cœperunt illum pij viri vſurpare. Quin, vt docerent, Chriſtum eſſe finem, & principiũ omnium Actionum ac Rerum (in quem ſane ſenſum illa Ioannis verba Apocalipſis cap. 1. & 22. *Ego ſum alpha, & omega*, acceperunt Tertullianus lib. de Monogamia cap. 5. Origenes tomo 1. in Ioannem, Epiphanius in Ancorato, & Iſidorus lib. 1. Etymolog. cap. 3.) ſoliti fuere interdum veteres Chriſtiani duabus illis litteris Græcis, X, &, P. addere etiam primam, & vltimam, hoc eſt A, & Ω, Id quod in multis marmoribus expreſſum Romæ, ac Mediolani videmus. *Atque etiam hodie Conſtantinopoli*, inquit eruditisſimus Lipſius lib. 3. de Cruce cap. 15. *ſunt columnæ à Conſtantino, vt putatur, in quarum baſibus Clypei cum his notis*, A Ω. Extant quoque apud Antonium Auguſtinũ, & Baronium plures nummi ijſdem omnino characteribus conſignati, quos omnes profert Iacobus Gretſerus totius antiquitatis Eccleſiaſticæ ſolertisſimus indagator tomo 3. de Cruce lib. 1. cap. 9. 10. 11.

A, & Ω aliquando etiam additũ.

Cœterum vt ad ſalutationem redeam, à qua me nonnihil fortaſſe auerterat mos ille prænotandi Crucem, Dominique ac Chriſti Nomen in Epiſtolarum aliorumque ſcriptorum fronte, conſueuerunt Latini ſalutantes

in ſcribendo, formulam à Græcis mutuati, dicere aut *Salutem in Domino*, aut *Salutem in Domino Deo*, aut ſimpliciter *Salutem*, quemadmodum legenti Latinorum Patrum Epiſtolas perſpicuum fiet. Admonuerim tamẽ, vſurpaſſe etiam aliquando Latinos Patres pro ſalute, Fœlicitatem, Benedictionem, Conſolationem, Gaudium, Seruitium, Seruitutem, Obſequium, Obedientiã, Dilectionem, Orationis munus, Reuerentiam, Subiectionem, Obedientiæ famulatum, Deuotionem, Charitatis vinculum, Pacis oſculũ, Venerationem, & alia huiuſmodi, quorum exempla ſi quis curioſius videre volet, ei legendæ ſunt Iuonis Carnothenſis Epiſcopi, Petri Damiani Cardinalis, Deſiderij Cadurceni Epiſcopi, Hincmari Rhemenſis, & aliorum Epiſtolæ.

Formula ſalutãdi Latinorũ Patrum in ſcribẽdo.

Illud certè adnotatu dignisſimum eſt, quod eruditisſimus Baronius præclare aduertit tomo 1. ad ann. Chriſti 45. ab Apoſtolis, qui *Gratiam*, & *Pacem*, vt ſupra diximus, ſalutando tribuere ſolebant, laudabilem illam conſuetudinem in Eccleſiam fuiſſe introductam, vt Romani Pontifices Apoſtolicis litteris quempiã ſalutantes, vna cũ ſalute *Apoſtolicam Benedictionem* ſeu *Gratiã* impertiant. Quam quidem conſuetudinem, quemadmodum à Cleto Romano Pontifice primum inuectam tradunt Polydorus Virgil.

Apoſtolicam Benedictionem ſalutantes in ſcribẽdo tribuunt Romani Pontifices.

Eius rei origo.

gil.de Inuention. rerum lib.8. cap.2. & Gilbertus Genebrard. in Chronologia lib. 3. ad ann.Chriſti 93. in Cleto,ita ab eo mutuatos reliquos deinde Pontifices conſtanter retinuiſſe affirmant.

Pene pręterieram præclaram illam in ſcribendo ſalutandi formulam, dignitati Pontificiæ maxime conſentaneam, qua iam inde ab Innocentij Tertij tempore communi Principum omnium vſu fere ſancitum eſt,vt in Epiſtolarum ſalutatione,quæ ad Pontificem Romanum exarantur, *pedum oſculatio* venerationis cauſa præſcribatur. Cuius rei plura nobis ex Veterum libris ſuppetunt exempla. Reginaldus Angliæ Rex anno Domini 1219. Honorio Pontifici Romano ſcribens,ita eum ſalutat,*Beatiſſimo Patri,& Domino Honorio Dei Gratia ſummo Pontifici, Reginaldus Rex Inſularum commendationem cum oſculo pedum*. Anno 1266. Carolus Rex Siciliæ, eiuſdem conſuetudinis memor, ita ſuam inſcribit epiſtolam, *Sanctiſſimo in Chriſto Patri,& Domino ſuo Domino Clementi Diuina prouidentia ſacroſanctæ, & vniuerſalis Eccleſiæ Summo Pontifici, Carolus Dei gratia Rex Siciliæ cum omni reuerentia, & honore, beata pedum oſcula beatorum*. Henricus Dux Heluiæ, Regnique Poloniæ Hæres Ioannem Pontificem ſalutat his verbis, *Sanctiſſimo in Chriſto Patri, & Domino ſuo Domino Ioanni*

Epiſtolis ad Pōtificem Romanū exaratis Pedum oſculatio præſcripta.

ni Dei prouidentia Summo Pontifici, Henricus Dux Heluiæ Hæres Regni Poloniæ cum recommendatis ipſius pedum oſcula beatorum. Anno 1327. Vladiſlaus Rex Poloniæ eidem Ioanni ſcribens, in hæc verba eum ſalutat, *Sanctiſſimo Domino Ioanni Diuina prouidentia ſacroſanctæ Romanæ, & vniuerſalis Eccleſiæ Summo Pontifici, Vladiſlaus Rex Poloniæ deuotus filius ad pedum oſcula beatorum*. Eduardus Rex Angliæ anno 1343. Clementi Romano Pontifici ſalutem impertit in hanc formam; *Sanctiſſimo Patri ac Domino Domino Clementi digna Dei prouidentia ſacroſanctæ Romanæ, & vniuerſalis Eccleſiæ Summo Pontifici Eduardus Dei gratia Rex Angliæ deuota pedum oſcula beatorum*. Philippus Galliæ Rex Benedicto 11. ad Pontificiam dignitatem promoto gratulatur his verbis, *Sanctiſſimo Patri, & Domino Benedicto Diuina prouidentia ſacroſanctæ Romanæ ac vniuerſalis Eccleſiæ Summo Pontifici, Philippus Dei gratia Francorum Rex beata pedum oſcula beatorum*. Clementem Quintum tandem, vt de alijs taceam, in Summum Pontificem electum, Cardinales omnes ita ſalutant, *Sanctiſſimo Patri Domino Domino Bertrando Archiepiſcopo Burdegalenſi, in Summum Pontificem electo miſericordia Diuina, Chriſti Preſbiteri, & Diaconi S. R. E. Cardinales pedum oſcula beatorum*. Sed iam Epiſtolarum Inſcri-

ſcriptionis curriculo confecto ad Clauſulã tranſeamus.

De Eccleſiaſticarum Epiſtolarum Clauſula. Cap. III.

CLauſulam intelligo Epiſtolæ terminum ſeu finem; in quo ſane multa olim vſurpata. Omiſsis autem ijs, quæ communia erant ac ſolemnia omnium fere epiſtolarũ, quæue neminem pene latent; veluti pro vniuſcuiuſque Epiſtolæ Clauſula adijci conſueuiſſe Bonas preces ac vota ad Deum pro eius, ad quem ſcribebatur, ſalute: verbo Vale omnes fere epiſtolas fuiſſe terminatas: horarum interdum momenta tam diei quã noctis ad eas addita: notatum etiam Diem, Menſem, & Annum, quo datæ. Illud primo loco occurrit maxime dignum notatu, fuiſſe Apoſtolis, Apoſtoliciſque viris aliquãdo ſolemne in ſcribendo, vt ad finem epiſtolæ admonerent eos, ad quos ſcribebant, vt ſe inuicem in Oſculo ſancto ſalutarent. D. Petrus epiſt. 1. cap. 5. *Salutate*, inquit, *inuicem in Oſculo ſancto*. D. Paulus epiſt. ad Romanos cap. 16. & epiſt. 1. ad Corinthios cap. 16. & epiſt. 2. ad eoſdem cap. 13. *Salutate inuicem in oſculo ſancto*. Et rurſus epiſt. ad Theſſalonicenſes 1. cap. 5. *Salutate Fratres omnes in o-*

Salutatio in oſculo ſancto olim pro Epiſtolæ clauſula.

ſculo ſancto. Quod, & D. Ignatius vir ſane Apoſtolicus, rituũque Apoſtolicorũ religioſus obſeruator, ſemel atque iterum in ſuis epiſtolis fecit, ſiquidem, & ad Tarſenſes ſcribens, & ad Antiochenos, *Salutate*, ait, *inuicem in Oſculo ſancto.* Quin etiam Theophilus Alexandrinæ Eccleſiæ Epiſcopus formulam hanc in ſcribendo olim vſurpatã renouare conatus eſt, nam ad Aegypti Epiſcopos ſcribens ad finem 1. 2. ac 3. Paſchalis epiſtolæ hæc addidit verba, *Salutate inuicem in Oſculo ſancto.* Quibuſnam autem potiſsimum verbis concipi ſoleret huiuſmodi Salutatio in Oſculo ſancto, aliquatenus colligere licet ex cap. 3. epiſt. 2. D. Pauli ad Theſſalonicẽſes, vbi, *Salutatio*, inquit D. Paulus, *mea manu Pauli, quod eſt ſignum in omni epiſtola; ita ſcribo, Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti cũ omnibus vobis.* Salutationis itaque in Oſculo ſancto verborũ formulam eam puto fuiſse, *Gratia Domini noſtri Ieſu Chriſti tecum*, ſeu *cum omnibus vobis.* Et hanc ſane ſalutationem, eandem omnino fuiſſe arbitror cũ ea, cuius meminit idem D. Paulus ad Philippẽſes ſcribẽs cap. 4. in hæc verba, *Salutate omnem ſanctum in Chriſto Ieſu*: Ita vt idem fuerit dicere, *Salutate in Chriſto Ieſu*, ac, *Salutate in Oſculo ſancto.* Si quis tamen certiorem ac veriorem huiuſce ſalutationis concipiendæ formulam attulerit, lubens acquieſcam,

Salutatio in Oſculo ſãcto quibus verbis conciperetur.

Salutatio in Chriſto Ieſu eadem cũ ſalutatione in Oſculo ſãcto.

ſcam, eique vltro adſtipulabor.

Vſurpata quoque interdum fuit ab Eccleſiaſticis in ſcribendo illa obſecrandi, & obteſtādi formula, Ethnicis maxime familiaris, *Per veſtigia*, ſeu *per Genua tua*; D. Chryſoſtomus Cyriaco epiſcopo ſcribens inquit ad finem epiſtolæ, *Oro, & ſupplico, Genuaque tua contingo Frater, abijce luctum mœroris tui, & noſtri apud Deum memor eſto.*

Obſecratio per Veſtigia, ſeu per Genua.

Mos etiam ille antiquitus inualuit, vt ijdem honorum Tituli ſub finem epiſtolæ iterarentur, quibus initio fuerant ſinguli, ad quos ſcribebatur, appellati. Auguſtini epiſtola 12. ad Hieronymum illud habet initiū. *Domino clariſſimo, & deſideratiſſimo, & honorando in Chriſto fratri Hieronymo Auguſtinus.* Sub finem autem, *Memor noſtri exaudiaris à Domino in omni ſancto deſiderio tuo, Domine clariſsime, & deſideratiſſime, & honorande in Chriſto frater.* Hieronymi epiſtola 18. ad Auguſtinum ſic incipit, *Domino vere ſancto, & beatiſſimo Papæ Auguſtino Hieronymus*, eadē ſic terminatur, *Incolumem te, & memorem mei Chriſtus Deus noſter tueatur omnipotens, Domine vere ſancte, & beatiſſime Papa.* Voluſianus Auguſtino ſcribens ita ſuam orditur epiſtolam, *Domino vere ſancto ac merito venerabili Patri Auguſtino Epiſcopo Voluſianus*, et ſic claudit, *Incolumem venerationem tuam Diuinitas ſumma tueatur Domine vere ſancte, ac meri-*

Iidē honorū tituli ſub finē epiſtolæ iterati, q fuerant initio poſiti.

to venerabilis Pater. Voluſiano autẽ reſpondens Auguſtinus epiſt. 3. ait, *Domino Illuſtri ac merito inſigni, & præſtantiſſimo filio Voluſiano Auguſtinus.* Adfinem vero, *Incolumem, feliciorẹmque te miſericordiſſima Dei omnipotẽtia tueatur Domine Illuſtris ac merito inſignis, & præſtantiſſime fili.* Cernitur eadem repetitio in pluribus alijs Auguſtini epiſtolis, veluti epiſtola 5. ad Marcellinum, 6. ad Italicam, 34. ad Paulinum, & Theraſiam, 42. ad Madaurenſes, 45. ad Armentarium, & Paulinam, 82. ad Largum, 123. ad Orontium, 125. ad Corneliũ. 147. ad Proculeianũ, 155. ad Martianum, 156. ad Probam, 157. ad Optatum, 158. & 159. ad Marcellinum, & 160. ad Apringium. Fauſtus quoque Rhegienſis Galliarum epiſcopus id ſæpe vſurpauit, inquit enim epiſt. 5. ad Ruricium, *Domino pijſſimo, & in Chriſto ſummo mihi honore ſingulariter excolendo Ruricio filio Fauſtus,* Et ad finem, *Dominus Deus noſter beneficia in vobis ſua felici ac placita longæuitate multiplicet Domine pijſſime, & in Chriſto ſummo mihi honore ſingulariter excolende fili,* Epiſtola 6. *Domino deuinctiſſimo, & tota pietatis virtute ſingulariter excolendo fratri Ruricio Fauſtus. Dominus Deus noſter beneficia in vobis ſua felici, & placita longæuitate multiplicet Domine deuinctiſſime, & tota pietatis virtute ſingulariter excolende frater.* Epiſtola. 7. *Domino deuinctiſſi-*

mo,

mo, & honore præcipuo ſingulariter excolendo Ruricio filio Fauſtus, Dominus Deus noſter magnificandam mihi bonitatem veſtram, & præsẽtibus repleat bonis, & dignam reddat æternis, Domine deuinctiſſime, & honore præcipuo ſingulariter excolende fil. Epiſtola 8. *Domino beatiſſimo, & ſummo mihi honore ante omnes ſingulariter excolendo fratri Ruricio Fauſtus. Dominus Deus noſter memorem mei piam beatitudinem veſtram Eccleſiæ ſuæ profectibus felici lõgæuitate conſeruet, Domine beatiſſime, & ſummo mihi honore ante omnes ſingulariter excolẽde frater.* Et Epiſtola 9. *Domino beatiſſimo, debita pietate ſuſpiciendo, atque Apoſtolica Sede digniſsimo Fratri Ruricio Epiſcopo Fauſtus. Dominus noſter magnificandam mihi beatitudinem veſtram Eccleſiæ ſuæ profectibus, noſtriſque gaudijs perfecta longæuitate conſeruet, Domine beatiſsime, debita pietate ſuſpiciende, atque Apoſtolica ſede digniſsime frater.* Quas omnes Fauſti epiſtolas retulit Hẽricus Caniſius in ſuis Antiquis Lectionibus, ſicut, & illam Victurini ad eundem Ruricium, quæ hoc habet initium, *Domino beatiſsimo, ac Reuerentiſsimo, atque à me debito cultu ſingulariter obſeruando in Chriſto Patrono Ruricio Epiſcopo Victurinus,* Et ita clauditur, *Pius Dominus Reuerẽdam mihi beatitudinem veſtram ad profectum, & ornatum Eccleſiæ ſuæ, & annis multiplicare dignetur, & meritis, Domine Beatiſsime ac*

uerentiſsime, atque à me debitò cultu ſingulariter obſeruande in Chriſto Patrone. Atque aperte colligitur Mos hic ex ijs Ennodij Epiſcopi Ticinẽſis epiſtolis, in quibus ea verba ſub finem leguntur, *Domine vt ſupra,* hoc eſt Domine vt initio epiſtolæ ſcriptum fuit, cũ ijſdem videlicet honorum titulis, qui fuerant epiſtolæ præfixi. Quamuis enim nunc ad ipſum epiſtolarum Ennodij initium nuda nomina ſine titulis reperiantur, certiſsimũ tamen eſt, cuicunque epiſtolæ titulos præfigere conſueuiſſe Ennodium, eoſque ſolitũ etiã ad finem iterare; Librarij autem, in ſcribẽdo libenter compendio vtentes, & titulos ad initium omiſerunt, & eorundem repetitionem ad finem neglexerunt; addidere tamen ea verba, *Vt ſupra*, vt indicarent, & titulos omiſiſſe ſe initio, & repetitionẽ ſub finem vitaſſe. Lib. 1. epiſt. 12. ad Auienũ ſcribens Ennodius ſub finem epiſtolæ inquit, *Domine vt ſupra, ſalutationis honore, & reuerentia ſolita ſpero, &c.* Lib. 2. epiſt. 9. ad Olybrium, *Domine, vt ſupra, honorem ſalutati exhibens, precor, &c.* Lib. 5. epiſt. 10. ad Symmachum Papam, *Domine vt ſupra, ſalutationis reuerentiam obſequiorum deuotione reſtituens, precor, &c.* Eodem lib. epiſt. 11. ad Luminoſum, *Domine ut ſupra, ſalutationis obſequia dependens, ſatis eſſe ad commẽdationem credidi, ſi &c.* Et epiſt. 24. ad Laconium, *Domine vt ſupra,*

ſalu-

ſalutationem pleniſsimam accipientes, ſanctum quoque, & communem Patrem parilis noueritis eſſe ſententiæ, &c.

Fuit illud quoque nonnunquam in vſu, vt Termino ſeu fini epiſtolarum Crucis ſignũ appingeretur, quemadmodum ex ea Leonis 9. epiſtola perſpicuum ſit, quam ad Gunderadam Mangoldi Comitis filiam ſcriptã citauimus ſuperiori capite, cuius contextus Crucis ſigno in hanc formam, ✠, terminatur, ſicuti fuerat etiam inchoatus. Crucis ſigno terminatæ interdũ Epiſtolæ.

Quamquam olim non Epiſtolæ ſolum, ſed alia etiam ſcripta Crucis ſigno fuere terminata, vnde, & cum propria nomina ſubſcriberent veteres pij, Crucis ſignum ijſdẽ vel præponebant vel poſtponebant. In Codice Iuſtinianæo l. ſcimus C. de iure deliberãdi, præcipitur, vt ſi ab Hærede Inuentarium faciendum ſit, ab eodem ſubſcribatur; quod ſi ſcribere nequeat aut neſciat, id eius loco per Tabularium præſtetur, præpoſito tamen ab ipſo Hęrede venerabili Crucis ſigno. Lex ita habet, *Subſcriptionem ſupponere Hæredem neceße eſt, ſignificantem, & quantitatem rerũ, & quod nulla malignitate circa eas ab eo facta, vel facienda res apud eum remaneat; vel ſi ignarus ſit litterarum, vel ſcribere præpediatur, ſpeciali Tabulario adhoc ſolum adhibendo, vt pro eo litteras ſupponat, venerabili ſigno Crucis antea Hæredis manu præpoſito, &c.* Quare in Alia quoque ſcripta Crucis ſigno terminata.

Quinta Synodo Conſtantinopolitana tom. 2. Act. 1. illi qui aliena manu ſubſcribebāt, Crucem ipſimet præponebant ſeu protendebant; nam inter cœteras ſubſcriptiones etiam iſtæ duæ legũtur, *Stephanus*, ita habet prima, *Presbyter, & Prior Monaſterij de Conſta rogatus ſubſcripſi manu Iacobi Diaconi, qui ſcripſit ſecundum commiſsionem meam, & ego protendi manu mea venerabilem Crucem.* Secũda vero, *Zoticus Presbyter, & Prior Monaſterij S. Andreæ prope Saturniam Portam rogatus ſubſcripſi manu Marci Presbyteri, & Secundarij, me protendente venerabilem Crucem.* Huc pertinet Diploma (quod extat apud Ingulphum ſcriptorem Anglicânum in ſua Hiſtoria) à Rege Merciorum Beorredo conceſsũ Theodoro Abbati Croylandenſi, vbi ſinguli, qui ſubſcripſerunt, nomini, & Chirographo ſuo Crucis ſignũ addidere; primus his verbis, *Iſtud Regium Chirographum meum, &c. coram fratribus, &c. Sanctæ Crucis munimine confirmaui,* ✠. Alter, *Ego Ethelbertus Herefordenſis Epiſcopus Crucem meam feci,* ✠. Extat apud eundem anno Domini 970. aliud Diploma cum hac ſubſcriptione, *Ego Edgarus totius Albionis Baſileus hoc priuilegium cũ ſigno ſanctæ Crucis confirmaui. Ego Dunſtanus Dorobernenſis Archiepiſcopus hoc idem cũ trophæo hagiæ Crucis corroboraui.* Cum Ignatius Patriarcha Conſtantinopolitanus à Photia-

na

na Pſeudoſynodo de ſede deiectus eſſet, ſuamque deiectionē propria ſubſcriptione confirmare nollet, *Theodorus quidam*, ita inquit Nicetas in ipſius Ignatij vita, *vi arrepta manu Ignatij, & charta; Crucem in illa, quaſi vice, & nomine eius, loco ſubſcriptionis ſignauit, quam adſerens tradidit Photio; hic vero accepto illo Crucis ſigno, ex ſe ipſo deinde ita ſubſcripſit, Ignatius indignus Conſtantinopolitanus confiteor me ingreſſum eſſe ſine calculis, non Canonice videlicet electum, & his annis non ſancte me geſsiſce, ſed tyrannice.* In Synodo 8. Actione 10. reperitur huiuſmodi ſubſcriptio, *Baſilius, Constantinus, Leo Imperatores manu ſua quinque exemplaribus venerandæ Crucis ſigno impreſſo ſua nomina ſubſcripſerunt.* In Cruſij Turcogræcia citãtur aliquot ſubſcriptiones Græcorum Epiſcoporũ, quibus idem ſanctæ Crucis ſignũ præfigitur in hũc modũ, ✠, κάλλιστος ἐλέῳ θεȣ̃ ἀρχιεπίσκοπος κωνσταντινοπόλεος νέας ῥώμης &c. hoc eſt, *Calliſtus miſeratione Diuina Archiepiſcopus Cõſtantinopolitanæ vrbis nouæ Romæ &c.* Quod nõ intelligens aut intelligere nolẽs Turcogreciæ auctor ait, *Crucem illam finis notam eſſe, ibique poſitam tanquam punctum finale:* Pulchrũ ſane cõmentũ Lutherani hominis Crucis inimici. In Epiſtola Innocentij 2. ad Dietricum Abbatem Monaſterij Vuerdẽſis inter alias ſubſcriptiones hæ quoque habentur in hũc

mo-

modum conceptæ, ✠, *Ego Vuillhelmus Præneſtinus Epiſcopus*, ✠, *Ego Gerardus Presbyter Cardinalis tit. Sanctæ Crucis in Hyeruſalē*. Pragmatius quoque Fauſti Epiſtolæ ſubſcribens (extat hæc epiſtola tom. 4. Bibliothecæ Patrum.) *Pragmatius*, inquit, *Epiſcopus in Chriſti ſigno relegi, & ſubſcripſi*.

Crucis ſignū pro Teſtamētorū clauſula.

Immo in teſtamentis ſubſcriptionis locū explebat ſignum ſanctæ Crucis, quod manifeſtū fit ex eo, quod Iuſtinianus Imperator in Bithinia accidiſſe teſtatur, Authēt. 90. de teſtibus inquiens, *Cum teſtatrix nondum abſoluto teſtamento efflaſſet animam, quidam ex teſtibus præhenſa iam defunctæ manu, et tam in tranſuerſum, quam recta linea ducta effecerunt, vt defuncta venerandæ Crucis ſignū adſcripſiſſe videretur*. Ex quo improbo facto probam noſtram conſuetudinem colligimus; vt proinde merito Cuiacius dixerit in Paratit. in lib. 1. Cod. tit. 8. *Adeo fuiſſe Chriſti ſignum ſanctum, vt in inſtrumentis pro fide, & ſubſcriptione cederet*. Declarant etiam morem hunc Inſcriptiones eæ, quas in marmoribus expreſſas ac Crucis ſigno terminatas videmus. Plura Iacobus Gretſerus tomo 1. de Cruce lib. 2. cap. 16. & 19. & tomo 3. in Paralipomenis, & in horto Sanctæ Crucis.

Inſtrumenta Crucis ſigno terminata.

De Eccleſiaſticis Tabellarijs. Cap. IV. Et vltimum.

Eccleſiaſticas Epiſtolas iã inde ab Apoſtolorum temporibus, non quibusuis, ſed certis, ijsque probatis hominibus alteri reddendas tradi cõſueuiſſe, manifeſtum eſt. Siquidẽ & Diuus Paulus, vt præclare adnotauit Baroni⁹ tom. 1. ad ann. Chriſti 60. Tychico omni virtutum genere cumulato viro, Tabellario non ſemel vſus eſt, vt ad Coloſſenſes ſcribens, & ad Epheſios, *Quæ circa me ſunt*, ita habetur ad Coloſſenſes cap. 4. *omnia vobis nota faciet Tychicus chariſsimus frater, & fidelis miniſter, & conſeruus in Domino, quẽ miſi ad vos &c.* ad Epheſios vero cap. 6. *Vt autem, & vos ſciatis, quæ circa me ſunt, quid agã, omnia vobis nota faciet Tychicus chariſsimus frater, & fidelis miniſter in Domino, quem miſi ad vos in hoc ipſum &c.* Et Diuus Ignatius ipſorũ Apoſtolorũ æqualis Euphanium Lectorem amicum Dei & fideliſsimũ virum, Tabellarium miſit ad Philippenſes, *Tranſmiſi vobis*, inquit Ignati⁹, *litteras meas per Euphanium Lectorem, virum à Deo honoratum & fideliſsimum.* Et ad Philadelphiẽſes ſcribens, Burgo viro nobiliſsimo litteras ꝑferẽdas dedit, ait enim, *Scribo vobis per Burgum, qui miſſus eſt vna ab Epheſijs et Smyrnenſibus*

Eccleſiaſticę epiſtolę certis homibus tradebantur ꝑferẽdę.

ſibus

ſibus honoris cauſa. Sed & Polycarpum Smyrnenſem Epiſcopũ admonet Ignatius de certo, impigro, ac fideli Tabellario inſtituẽdo, *Decet*, ait epiſtola ad eundem Polycarpum, *beatiſſime Polycarpe eligere ſi quem vehemẽter dilectum habetis & impigrum, vt poſsit Diuinus appellari Curſor.* Ipſe quoque Polycarpus Creſcenti Viro innocentiſsimo litteras dedit Philippẽſibus reddendas, *Hæc vobis ſcripſi*, Polycarpi verba ſunt, *per Creſcentem, quẽ in præſentẽ diẽ cõmendaui vobis, & nunc cõmẽdo, conuerſatus eſt nobiſcum inculpabiliter &c.*

Tabellariorum munere in Eccleſia nõniſi Eccleſiaſtici fungebãtur.

Quin etiam Tabellariorum munere nonniſi Eccleſiaſticos Viros fuiſſe olim in Eccleſia perfunctos, conuincitur ex Cypriani epiſtola 24. ad Clerum Romanum, Miſſurus enim Romano Clero litteras Cyprianus, ꝙ ij abeſſent Clerici, quibꝰ id erat officij aſsignatum, nouos creare ad id muneris obeũdum, neceſſarium duxit; vnde, & Saturũ ordinauit Lectorem, & Optatum Subdiaconũ, *Quoniam oportet*, ait Cyprianus, *per Clericos ſcribere (ſcio autem noſtros plurimos abſentes eſſe, paucos vero, qui illic ſunt, vix ad miniſteriũ quotidiani operis ſufficere) neceſſe fuit nouos aliquos conſtituere, qui mitterentur; feciſſe me autem ſciatis Lectorem Saturum, & Hypodiaconum Optatum Confeſſorem.* Ob id etiam autem ordinatos fuiſſe à Cypriano, & Saturum Lectorem, & Optatum Hypodiaconũ,

vt

vt Eccleſiaſtici Tabellarij munere fungerẽtur, præterquam quod ipſa Cypriani verba manifeſte declarant, colligitur etiam haud obſcure ex eiuſdem Cypriani epiſt. 29. quã ipſimet Saturus Lector, & Optatus Hypodiaconus Romano Clero reddidere, & ex 55. eidẽ Saturo à Cypriano tradita ad Cornelium Pontificem Romanum perferenda. Quam ſane antiquiſsimam Eccleſię conſuetudinem ex pluribus alijs eiuſdem Cypriani epiſtolis per Eccleſiaſticos perlatis ac redditis aperte intelligimus. Etenim Tertia, Quarta, & Decima quinta per Clemẽtiũ Hypodiaconũ perlatæ fuere; per Fortunatũ Hypodiaconum Trigeſima: Quadrageſima prima per maximũ Presbyterum, & per Caldonium ac Fortunatũ Epiſcopos Quadrageſima ſecũda: Quadrageſimam tertiã reddidit Mettius Hypodiaconus, Quadrageſimam Quintam Primitiuus Presbyter, Nicephorus Acolutus Quadrageſimam Nonam, & Quinquageſimã ſecundã Quintus Preſbyter: Sexageſimæ Octauę portitores fuere Felix, & Sabinus Epi, Septuageſimæ Quintæ Rogatianus Diaconus, Septuageſimæ Nonæ demũ, & octuageſimæ Herennianus Hypodiaconus, & Lucanus, Maximus, & Amãtius Acoluthi. Ita vt Eccleſiaſticas haſce omnes epiſtolas nonniſi Eccleſiaſtici viri pertulerint ac reddiderint.

Atque

Atque hũc morẽ longa annorũ ſucceſsione in Eccleſia cõſtanter retentum inuenio, nam, & Auguſtini, & Hieronymi temporibus in vſu id fuiſſe declarant plures eorũ Epiſtolæ à Clericis perlatæ ac redditæ; *Ex quo cœpi*, inquit Auguſtinus epiſt. 10. ad Hieronymũ, *ad te ſcribere, aut tua ſcripta deſiderare, nunquam mihi melior occurrit occaſio, quam vt per Dei ſeruum ac miniſtrum Fideliſsimum, mihique chariſsimum mea tibi afferretur epiſtola, qualis eſt Filius noſter Cyprianus Diaconus.* & ep. 93. ad eundem, *Quamuis exiſtimẽ, antequam iſtas ſumeres, veniſſe in manus tuas litteras meas, quas per Dei ſeruum Filium noſtrum Cyprianũ Diaconũ miſi &c.* & paulo poſt, *Nũc tamen eis ipſis reſpondeo litteris tuis, quas mihi per Sanctum Filium noſtrum Aſterium*, Hypodiaconũ, *mittere dignatus es*. & epiſt. 7. ad Marcellinum, *Epiſtolam tuam, quã per Sanctũ Fratrem, & Coepiſcopum meum Bonifacium accepi, quæſiui, vt reſcriberem, nec inueni*. Diuus autem Hieronymus epiſt. 11. ad Auguſtinũ, *Tres ſimul*, ait, *epiſtolas per Diaconum Cyprianum tuæ Dignationis accepi*. & epiſt. 91. *Epiſtolæ cuiuſdam quaſi ad me ſcriptæ per Fratrem noſtrum Siſinnium Diaconum huc exemplaria peruenerunt*. & epiſt. 14. *Crebras ad me epiſtolas dirigis, & ſæpe compellis, vt reſpondeam cuidã Epiſtolę tuę, cuius ad me, vt ante iã ſcripſi, per fratrẽ Siſinnium Diaconum exemplaria perueue-*

uenerant. Et epiſt. 98. *Anno præterito per Fratrem noſtrum Aſterium Hypodiaconum Dignationi tuæ epiſtolam miſeram, promptum reddens ſalutationis officium, quam tibi arbitror redditã; nunc quoque per Sanctum Fratrem noſtrũ Præſidiũ Diaconum obſecro, primum vt memineris mei, deinde vt baiulum litterarum habeas commendatum* & epiſt. 24. ad Alipium, & Auguſtinum, *Sanctus Innocentius Presbyter, qui huius ſermonis eſt portitor &c.*

Clericis preterea non quibuſcunque, ſed certis ac determinatis fuiſſe antiquitus in Eccleſia hoc Tabellarij munus aſsignatum, ex eo facile crediderim, quod, & Ignatius ſupra citata ad Polycarpũ epiſtola, *Decere*, ait, *vt eligatur Vir fidelis & impiger, qui Diuinus poſsit appellari Curſor*, hoc eſt, qui Eccleſiaſtici Tabellarij munere fungi rite valeat; & Cyprianus ad diuerſos diuerſo tẽpore ſcribens, vno eodemque nõ ſemel vſus eſt Tabellario, vt Clementio Hypodiacono epiſtola tertia, quarta & decima quinta, Saturo, & Optato vigeſima quarta & quinquageſima quinta, & Herenniano, Lucano, Maximo, & Amantio ſeptuageſima nona, & octuageſima. Id quod ex Auguſtini etiam, ac Hieronymi, & aliorũ Epiſtolis facile intelligitur.

Tabellarij mun⁹ in Eccleſia nõniſi certis, ac determinatis Clericis olĩ aſſignatum.

Cœterũ requiſitas in perfecto Eccleſiaſtico Tabellario partes vnus nobis Auguſtinus

Ræquiſitæ in perfecto Eccleſiaſtico Tabellario partes.

ſtinus pulcherrime expreſsit epiſt. 10. ad Hieronymū ijs verbis, *Ex quo cœpi ad te ſcribere, aut tua ſcripta deſiderare, nunquam mihi melior occurrit occaſio, quam vt per Dei Seruum ac miniſtrum fideliſsimum, mihique cariſsimum, mea tibi afferretur epiſtola, qualis eſt filius noſter Cyprianus Diaconus: Per hūc certe ita ſpero litteras tuas, vt certius in hoc rerum genere quicquam ſperare non poſsim: nam nec ſtudium in petēdis reſcriptis memorato filio noſtro deerit, nec gratia in promerendis, nec diligentia in cuſtodiendis, nec alacritas in perferendis, nec fides in reddendis*. Hactenus Auguſtinus. Vt is demū omni ex parte perfectus Eccleſiaſticus Tabellarius ſit cēſendus, qui & litteras ſtudioſe flagitet, & impetret gratioſe, diligēter cuſtodiat, perferat impigre, ac fideliter tandem reddat. Atque hæc habui, quæ de antiquo Eccleſiaſticarum Epiſtolarū genere, ac vniuerſo earū apparatu ſcriberem; quæ, vt breuia ſunt, vtinam videantur.

FINIS.

INDEX RERVM, ET VERBORVM.

A

A Et ω ſcriptis interdum præfixum. pag. 173
Abſolutoria Epiſtola, ideſt Dimiſſoria. 55. 56
Actorũ Nicænorũ magnitudo. 13.
Alexandriæ Epiſcopo aſſignata Paſchalis futuri diei cuiuslibet anni inueſtigatio. 105
Ἀμὴν cur hac voce terminaretur quælibet formata ſeu canonica epiſtola. 23
Amen, Gratia, vera ac germana epiſtolarum Diui Pauli, & aliorum nota. 23. 166. 167
Amicæ litteræ, ideſt Pacificæ. 84. 85
Apoſtoli, ideſt Dimiſſoriæ Epiſtolæ. 51
Apoſtoli in ſcribendo pro ſalute Gratiam, & Pacem optabant. 166
Apoſtolicam Benedictionem tribuunt ſalutantes in ſcribendo Romani Pontifices. 174
Apoſtolorũ in ſcribendo ſalutandi formula. 166
Ab Arianis combuſti Nicæni Canones. 11
Arius, & aliquot alij Epiſcopi Ariani Nicænis

N De-

Decretis, quãuis fictè, ſubſcripſere. ibidem.

B

Benedictionem Apoſtolicam tribuunt ſalutãtes in ſcribendo Romani Pontifices. 174
Bonæ preces adhibitæ pro Epiſtolarum Clauſula. 177

C

Canones Nicæni ab Arianis combuſti. 11
Plures erant, quam viginti. 13
Eorum numerus. 14
Canones Synodici robur ac firmitatem ab Apoſtolica Sede accipiunt. 121. 122
Canonum confirmationem per Synodicas litteras depoſcebant à Romano Põtifice Patres in Sinodo congregati. 121
Canonicæ Epiſtolæ; Vide, Formatæ
Canonicarum Epiſtolarum Nomen. 5
Eædem cum Formatis. 5. 34
Earum Origo ex Concilio Nicæno. 7
Cur excogitatæ, & inuentæ. 8. 68
Earum adulterator Iulianus Apoſtata. 8
Cur nulla nunc earum mentio in Nicænæ Synodi Canonibus, & vniuerſis Actis. 9. 10. 11
Earum formula. 16. 17. 18. &c.
Requiſita ad earum conceptionem. 19. 20
Cur ijs addita 1. Græca elementa Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. 20. 21
Cur etiam 1. Petri littera addita. 22
Cur voce, terminata. 23
Earum Exempla. 24. 25. 26. &c.

Pa-

Paſchæ dies ijs additus. 32
Nunc etiam eæ recordatione digniſſimæ. 33
Eas genus eſſe ad Communicatorias, Dimiſſorias, Commendatitias, & Pacificas. 34
Canonicum, vox hæc tripliciter potiſſimum ab Auctoribus vſurpata. 3.4
Captiuorum litteræ quæ. 148.149
Catholicæ Epiſtolæ quæ. 108.109.
Catholicæ Epiſtolę, ideſt Encyclicæ, ſeu Circulares, ac Generales. 115
Catholici Principes laici Romani Pontificis Electionem Communicatorijs Epiſtolis gratulabantur. 49
Propriam ad Principatus faſtigium euectionem Romano Pont. per communicatorias ſignificabant. 50
Catholicum, ideſt Vniuerſale, ſeu Generale. 115
Catholicus is vere habebatur, qui Romano Pont. erat Communione coniunctus. 22. 39
Chriſti nomen olim ſcriptis non rarò præfixum. 171.172
Circulares Epiſtolæ quæ. 108.109
Chriſtianis peregrinaturis neceſſariæ olim Communicatoriæ epiſtolę. 42. 43. 44
Pro Clauſula Epiſtolarum interdum affixa ſalutatio in Oſculo ſancto. 177
Clemens Romanus Encyclicas Epiſtolas exarauit. 109
Clericæ litteræ quæ. 140
Clericorum Ordinatio per Commendatitias litteras demonſtrata. 68
Clerus Romanus Sede Romana vacante, Summi Pontificis munera explet. 136

Collectæ olim factæ in indigentium vſus. 144
Eius locus Gazophilatium. 146. 147
Collectæ indicendæ Origo in Miſſa diebus Dominicis. 145
Collectæ nouæ indicebantur noua emergente neceſſitate. 147
Commendatitiæ Epiſtolæ quæ. 62. 63. 64. &c.
Peregrinis olim Chriſtianis Hoſpitalis Teſſeræ loco. 65
Earum adulterator Iulianus Apoſtata. 8. 68
Clericorum Ordinationem demonſtrabāt. 68
Suſpectis, & ignotis hominibus tradebantur. 70.
Siſtaticæ, Conciliatrices, Teſtimoniales, & Viaticum appellabantur. 74. 75
Commonitoriæ Epiſtolæ quæ. 149
Earum formula. 150
Commonitorium appellatæ. ibidem.
Communicatio Catholica quid. 38
Communicationem Romanæ Eccleſiæ conati ſunt ſemper conſequi Hæretici. 39
Communicationis ius quid olim eſſet. 141. 142
Communicatoriæ literæ quæ. 38. 39. 40. &c.
Communicationis, & Communionis litteræ appellatæ. 38
Earum nomen. 41
Neceſſariæ olim peregrinaturis Chriſtianis. 42. 43. 44.
A peregrinis exhibitæ, maxima cautione accipiebantur, ac examinabantur. 44
Earum commercio Eccleſiæ vnitas demonſtrata. 45
Per eas electionem ſuam Epiſcopis omnibus ſigni-

ſignificabant Romani Pontifices. 47
Per eas Romani Pontificis electionem gratulabantur Epiſcopi omnes. 48
Item Catholici Principes laici. 49
Per eas ijdem Catholici Principes propriam ad Principatus faſtigium euectionem Romano Pontifici ſignificabant. 50
Eas, veluti Catholicæ Communicationis ſymbola, vltro citroque exarabant Epiſcopi recenter creati. 51
Communio olim triplex in Eccleſia. 40
In Conuictu. ibidem.
In Precibus. ibidem.
In Sacramento. ibidem.
Conciliatrices Epiſtolæ, ideſt Commendatitiæ. 74. 75.
Concilia omnia firmitatem ſuam à Romano Pontifice accipiunt. 121. 122
Concilij ſubſcribentes Peccatoris nomen adhibebant interdum Epiſcopi. 164. 165
In Concionibus indicendæ Eleemoſinæ Origo. 146
Concordiæ litteræ, ideſt Pacificæ. 84. 85
Confeſſores olim qui dicerentur. 43. 141
Ius Communicationis ab Epiſcopo Lapſis impetrabant. 43
Confeſſoriæ epiſtolæ quæ. 143
Confeſſionis, & Confeſſorum appellatæ. ibid.
Crucis ſigno Epiſtolæ, & alia ſcripta inchoata. 170
Eodem etiam terminata. 183
Sicut, & Teſtamenta, & Inſtrumenta. 186

D

DEcreta Synodica robur ac firmitatem ab Apoſtolica Sede accipiunt. 121. 122
Decretales Epiſtolæ quæ. 120
Earum auctoritas. 117. 118
Earum primaria, & authentica exemplaria in Romanæ Eccleſiæ Tabularijs olim aſſeruabantur. 119
Dimiſſoriæ litteræ quæ. 51. 52. &c.
Libelli Dimiſſorij, Apoſtoli, Reuerentiales, & Reuerendæ appellatæ. 51
Expreſſoriæ etiam, & Expoſitiones dictæ. 60
Item Abſolutoriæ. 55. 56
Ei neceſſariæ, qui ab alieno Epiſcopo ordinari volebat. 52
Item ei, qui in aliena plebe volebat ſacrificare. 54
Item ei, qui alieno Clero connumerari cupiebat. 56
Etiam Epiſcopo longius peregrinaturo. 58
Eas non niſi rogati concedebant Epiſcopi. 54
Diuiſio totius Operis. 2
Domini nomen Epiſtolis, & alis ſcriptis prænotatum. 169
Dominica die ſemper celebrata Paſchalis feſtiuitas. 99

E

ECcleſia Mediolanenſis Paſchalem futurum diem cuiuslibet anni Epiphaniorum die denun-

nunciat. 107. 108.
Eccleſiæ Vnitas Communicatoriarum commercio demonſtrata. 45.
Eccleſiaſticarum Epiſtolarum Tabellarij non niſi Eccleſiaſtici. 187.188.
Eccleſiaſticis Epiſtolis naſcẽtis Eccleſiæ primordijs nuda nomina adhibita. 152.153.
Electionem Romani Pontificis Communicatorijs litteris gratulabantur Epiſcopi. 48.
Item Principes Catholici Laici. 49.
Electionem ſuam Romani Pontifices Epiſcopis omnibus Communicatorijs litteris ſignificabant. 47.
Epiphaniorum die in ſingulis Eccleſijs denunciabatur Paſchalis futurus dies cuiuslibet anni. 106.107.
Seruatur adhuc mos hic in Eccleſia Mediolanenſi. 107.108.
Epiſcopi Concilijs ſubſcribentes Peccatoris nomen interdum adhibebant. 164.165.
Epiſcopi Epiſcoporum ab Arianis appellati Imperatores. 157.
Epiſcopi in ſcribẽdo Peccatoris titulum proprio nomini ſubijciebant. 163.164.
Seruos item Seruorũ Dei ſe appellabant. 163.
Intercedebant olim pro miſeris & oppreſſis ad Eccleſiam confugientibus. 81.
Item pro Seruis ad Eccleſiã cõfugientibus. 82.
Romani Pontificis Electionem Communicarijs Epiſtolis gratulabantur. 48.
Recenter creati vltro citroque Communicatorias exarabant. 51.
Longius peregrinaturi Dimiſſoriam accipiebant

bant à Metropolitano, vel etiam à Roman. Pontif. 58.
Per Tractoriam ad Concilium euocabantur. 91. 92. 93.
Per eandem euocati benigne à fidelibus in itinere excipiebantur. 94.
Per Tractatoriam excuſationem afferebant, cur Concil. adeſſe non poſſent. 95.
Item denunciabant, hunc vel illum eſſe excommunicatum. 97.
Recenter creati fidem apud Rom. Pontif. per Synodicas litteras profitebantur. 127.
Pontifices Maximi, & Summi Sacerdotes appellati. 158.
Quibuſnam olim potiſsimum Titulis appellarentur. 156.
Eis per Communicatorias Electionem ſuam ſignificabant Romani Pontificrs. 47.
Eis Pontifex Rom. recens creatus fidei formulã per Synodicas litteras mittebat. 123. 124.
Epiſcopis oĩbus olim Papæ nomen cõmune. 154.
Linguæ Græcæ cognitio neceſſaria. 30.
Epiſcopo Alexandrino aſſignata Paſchalis diei cuiuslibet anni inueſtigatio. 105.
Epiſcopus Epiſcoporum, & Epiſcopis Vniuerſalis appellatus Romanus Pontifex. 156. 157.
Epiſtolæ Abſolutoriæ. Vide Abſolutoriæ.
Amicæ. Vide Amicæ.
Canonicæ. Vidæ Canonicæ.
Captiuorum. Vide Captiuorum.
Catholicę. Vide Catholicæ.
Circulares. Vide Circulares.
Clericæ. Vide Clericæ.

Com-

Commendatitiæ. Vide Commendatitię.
Commonitoriæ. Vide Commonitoriæ.
Communicationis. Vide Communicationis.
Communicatoriæ. Vide Communicatoriæ.
Communionis. Vide Communionis.
Conciliatrices. Vide Conciliatrices.
Concordiæ. Vide Concordiæ.
Confeſsionis. Vide Confeſsionis.
Confeſſoriæ. Vide Confeſſoriæ.
Confeſſorum. Vide Confeſſorum.
Decretales. Vide Decretales.
Dimiſſoriæ. Vide Dimiſſoriæ.
Encyclicæ. Vide Encyclicæ.
Expoſitionis. Vide Expoſitionis.
Expreſſoriæ. Vide Expreſſoriæ.
Formatæ. Vide Formatæ.
Generales. Vide Generales.
Memoriales. Vide Memoriales.
Orbiculares. Vide Orbiculares.
Pacatæ. Vide Pacatæ.
Pacificæ. Vide Pacificæ.
Pacis. Vide Pacis.
Paſchales. Vide Paſchales.
Priuatæ. Vide Priuatæ.
Reuerendæ. Vide Reuerendæ.
Reuerentiales. Vide Reuerentiales.
Siſtaticæ. Vide Siſtaticæ.
Solemnes. Vide Solemnes.
Synodales. Vide Synodales.
Synodicæ. Vide Synodicæ.
Teſtimoniales. Vide Teſtimoniales.
Tractatoriæ. Vide Tractatoriæ.
Tractoriæ. Vide Tractoriæ.

Tranquillitatis. Vide Tranquillitatis.
Epiſtolis bina nomina præpoſita. 152.
Nuda nomina, ac ſine titulis olim adhibita. 152. 153.
Epiſtolarum D. Pauli, & aliorum germana nota, Gratia, Amen. 166. 167.
Epiſtolæ olim, & alia ſcripta Domini, ac Chriſti nomine prænotata. 170. 171.
Crucis ſigno etiam inchoata. ibidem.
Eodem item ſigno terminata. 183.
Epiſtolis ad Romanum Pontif. exaratis Pedum Oſculatio præfixa. 175.
Epiſtolæ ſub finem ijdem honorum tituli iterati, qui fuerant initio poſiti. 179.
Epiſtolarum Eccleſiaſticarum Tabellarij nonniſi Eccleſiaſtici. 187. 188.
Exemptionis formula à proprij Epiſcopi Iuriſdictione. 58
Expoſitio, ideſt Dimiſſoria Epiſtola. 60.
Expreſſoria, ideſt Dimiſſoria. ibidem.

F

Fidei Formulam Epiſcopis omnibus per Synodicas litteras mittebat Romanus Pontif. recens creatus. 123. 124.
Fidem Catholicam Epiſcopi recenter creati per Synodicas litteras apud Romanum Pontif. profitebantur. 127
Formatę Epiſtolæ. 5. 6. 7. &c.
Eædem cum Canonicis. 5. 34.
Earum nomen. 6.
Origo ex Concil. Nicęno. 7.
Cur excogitatæ, & inuentæ. 8. 68.
Earum adulterator Iulianus Apoſtata. 8.

Cur

Cur nulla nunc mentio in Nicænæ Synodi Canonibus,& vniuerſis Actis. 9.10.11.&c.
Exempla. 16.17.18.&c.
Ad earum conceptionẽ quæ requirãtur. 19.20.
Cur eis addita prima Greca elementa Patris,& Filij,& Spiritus Sancti. 20.21.
Cur item prima Petri littera. 22.
Cur voce ⁀ , ἀμὴν, terminatæ. 23.
Earum forma. 24.25.26.&c.
Eis Paſchæ dies additus. 32.
Nunc etiam recordatione dignæ. 33.
Genus erant ad Communicatorias, Dimiſſorias, Commendatitias,& Pacificas. 34.
Formula Exemptionis à proprij Epiſcopi Iuriſdictione. 58.
Formulã fidei Epiſcopis omnibus per Synodicas litteras mittebat Romanus Pontif. recens creatus. 123.124.

G

GAzophilatium, Arca, Corbona, Mẽſa appellatum. 146.147.
Collectarum locus. 146.
Generalis Epiſtola, ideſt Encyclica. 117.
Gerardi Rodolphi hallucinatio in Nicænorum Canonum numero explicando. 15.
Gratia, Amen, germana Epiſtolarum D. Pauli, Ignatij,& aliorum nota. 23.166.167.
Gratiam,& Pacem pro ſalute optabant Apoſtoli, & alij in ſcribendo. 166.
Eundem morẽ ſeruant nunc etiam plures Religioſi. 167.

H

HAeretici ji probabantur, cui Romanæ Sedis Communicatio denegabatur. 23. 39
Conati ſunt ſemper Romanæ Eccleſiæ Communicationẽ conſequi. 39
Hebræi ſalutantes in ſcribendo Pacem optabant. 165
Hermes librum ſcripſit de Paſchate Dominica die celebrando. 101
Appellatur hic liber Paſtor. ibidem.
Hoſpitalis Teſſera Ethnicorum quæ. 63
Veterum Chriſtianorum. 65
Hoſpitij neceſſitudo per Teſſeram contrahebatur. 63

I

D. IGnatij ſalutandi formula in ſcribendo. 166
Ignotis hominibus tradebantur Commendatiæ epiſtolæ. 70
Imperatores ab Arianis Epiſcopi Epiſcoporum appellati. 157
Indictio quid. 31
Eius Origo. ibidem.
Nicænę Synodi tempore vſurpata. ibidem.
Per Arithmeticen quomodo reperiatur. ibid.
Inſtrumenta aliquando Crucis ſigno terminata. 186.
Intercedebant olim Epiſcopi pro miſeris, & oppreſſis ad Eccleſiam confugientibus. 81
Item pro ſeruis. 82

Inter-

Interceſſiones Eccleſiæ quæ dicerentur. 83
Iulianus Apoſtata Formatarum, ſeu Canonicarum Epiſtolarum adulterator. 8
Eius tempore Commendatitię litteræ vſurpatæ. 66
Ius Communicationis quid olim eſſet. 141. 142

L

LAici Principes Catholici Romani Pontificis electionem Communicatorijs litteris gratulabantur. 49
Item propriam ad Principatus faſtigium euectionem Romano Pontifici per Communicatorias ſignificabant. 50
Lapſi quinam olim dicerentur. 141
Litteras à Confeſſoribus exorabant, vt Pacem ac ius Communicationis ab Epiſcopis recuperarent. 43. 141. 144
Latinorum Patrum in ſcribendo ſalutandi formula. 174
Libelli Dimiſſorij, ideſt Dimiſſoriæ Epiſtolæ. 51
Litteræ. Vide Epiſtolæ.

M

MAgnitudo Actorum Nicænorum. 13
Mediolanenſis Eccleſia Paſchalem futurū diem cuiuslibet anni Epiphaniorum die denunciat. 107. 108
Memoriales litterę quæ. 149
Metropolitani recenter creati fidem Catholicā per Synodicas litteras apud Romanū Pont. pro-

profitebantur. 127
Metropolitanis Romanus Pont. recens creatus fidei formulam per Synodicas litteras mittebat. 123. 124
Metropolitanorum erat per Tractoriam Epiſcopos ad Concilium euocare. 93

N

NEceſſitas tractandi de antiquo Eccleſiaſticarum Epiſtolarum genere. 1
Nicænorum Actorum magnitudo. 13
Nicæni Canones ab Arianis combuſti. 11
Plures quam viginti. 13
Verus eorum numerus. 14
Eis ſubſcripſere, quamuis ficte, Arius, & alij etiam Ariani Epiſcopi. 11
Nomina bina cuique epiſtolæ præpoſita. 152
Nomen Canonicarum Epiſtolarum. 5
Nomen Chriſti antiquitus ſcriptis non raro præfixum. 171. 172
Nomen Domini Epiſtolis, & alijs ſcriptis olim præpoſitum. 169
Nomen Formatarum Epiſtolarum. 6
Nomen Papæ antiquitus Epiſcopis omnibus commune. 154
Cur, & quando Romano tantum Pont. tributum. 154. 155
Nomina nuda Epiſtolis olim adhibita. 152

O

OBlationum in Miſſa Origo. 145
Obſecratio per veſtigia, ſeu per genua, ad

finem

finem epiſtolæ. 179
Operis huiuſce Diuiſio, Neceſſitas, Vtilitas. 1.2
Orbiculares Epiſtolæ quæ. 108. 109
Ordinatio Clericorum per Commendatitias demonſtrata. 68
Origo Canonicarum, ſeu Formatarum epiſt. ex Concilio Nicæno. 7
Origo indicendæ eleemoſinæ in Cõcionibus. 146
Origo Oblationum in Miſſa. 145
Origo prænotandi Chriſti nomen epiſtolis, & alijs ſcriptis. 172
Oſculatio pedum præfixa Epiſtolis ad Romanũ Pontificem exaratis. 175
Oſculum ſanctum olim pro epiſtolę clauſula. 177
In Oſculo ſancto ſalutare quid. 178

P

Pacatæ litteræ, ideſt Pacificæ. 84.85
Pacem optabant Hebręi in ſcribendo ſalutantes. 165
Pacis litteræ, ideſt Pacificæ. 84.85
Pacificæ litteræ quæ. 79
Ειρηνικαὶ à Græcis appellatæ. ibid.
Dictæ eæ omnes, quæ Pacem quoquomodo gignebant. 84
Amicæ, Pacatæ, Tranquillitatis, Concordiæ; Pacis litteræ, ac Vnitiuum appellatæ. 84.85
Papæ nomen antiquitus Epiſcopis omnibus cõmune. 154
Cur, & quando Romano tantum Pontifici tributum. 154.155
Papale Reſcriptum pro adulterino habitum, ſi

ea

ea careat appellatione, Seruus Seruorum Dei. 162
Paſchæ dies formatis additus. 32
Paſchales epiſtolæ quæ. 108
Earum formula. ibidem.
Solemnes appellatæ. 107
Paſchalis feſtiuitas Dominica die ſemper celebrata. 99
Paſchalis futurus dies cuiuslibet anni à Romano Pont. inueſtigatus per litteras Epiſcopis omnibus denunciabatur. 32. 104.
Eius inueſtigatio Alexandrino deinde Epiſcopo aſſignata. 105
Epiphaniorum die in ſingulis Eccleſijs denũciabatur. 33. 106. 107
Mos idem ſeruatur nunc in Mediolanenſi Eccleſia. 107. 108
Pater Patrum appellatus Romanus Pontifex. 156.
Alij quoque Epiſcopi eodem titulo honeſtati. 157
Patriarchę recenter creati fidem Catholicam per Synodicas litteras apud Romanum Pont. profitebantur. 127
Eis Pontifex Rom. recens creatus fidei formulã per Synodicas litteras mittebat. 123.124
Patris, & Filij, & Spiritus Sancti prima Græca elementa cur Canonicis, ſeu formatis addita. 20 21
D. Pauli Epiſtolarum germana nota, *Gratia*, *Amen*. 23.166.167
Peccatoris nomen proprio nomini ſubijciebant interdum Epiſcopi in ſcribendo. 163.164
Interdũ etiam Concilijs ſubſcribentes. 164.165

Pe-

Pedum Oſculatio præfixa Epiſtolis ad Romanum Pontificem exaratis. 175
Peregrinis Chriſtianis neceſſarię olim Communicatoriæ epiſtolæ. 42. 43. 44
Petri prima littera cur Canonicis ſeu Formatis addita. 22
Pontifex Romanus recens creatus fidei formulã per Synodicas litteras Epiſcopis omnibus mittebat. 123. 124
Solus tandem *Sanctiſſimi*, & *Beatiſſimi* titulo inſignitus. 158
Vide Romanus Pontifex.
Pontifices Maximi appellati quicunque Epiſcopi. 158.
Solus deinde Romanus Pont. ita fuit appellatus. ibidem.
Primatum erat per Tractorias Epiſcopos ad Cõcilium euocare. 93
Principes ſæculares Romani Pont. electionem Communicatorijs gratulabantur. 48
Propriam ad Principatus faſtigium euectionẽ eidem Rom. Pont. per Communicatorias ſignificabant. 50
Cur ſuos Oratores ad Sedem Apoſtolicam tranſmittant. ibidem.
Priuatæ litteræ quæ. 143
Cur eo nomine appellatæ. 144

R

REquiſita ad Canonicarum, ſeu Formatarum conceptionem. 19. 20
Reſcriptum Papale pro adulterino habitum, ſi ea careat

careat appellatione, Seruus ſeruorum Dei. 162
Reuerendæ, & Reuerentiales, ideſt Dimiſſorię epiſtolę. 51
Romanus Clerus Sede Romana vacante Summi Pontificis munera explet. 136
Romanus Pontifex Epiſcopus Vniuerſalis appellatus. 156
Pater Patrum. ibid.
Epiſcopus Epiſcoporum. 157
Pontifex Maximus, & ſummus Sacerdos. 158
Sanctiſſimus, & Beatiſſimus. ibid.
Cur, & quando Vniuerſalis titulum damnarit. 159.
Se ipſum interdum Vniuerſalem Epiſcopum, & Epiſcopum Epiſcoporum inſcripſit. ibid.
Ei ſoli tandem Papę nomen tributum. 154. 155
Ab eo firmitatem accipiunt Concilia. 121. 122
Ab eo Canonum confirmationem per Synodicas litteras depoſcebant Patres in Concilio congregati. ibidem
Salutans in ſcribendo Apoſtolicam benedictionem impertit. 174
Ei per Communicatorias litteras propriam ad Principatus faſtigium Euectionem ſignificabant Principes ſeculares. 50
Quid per Obedientiam ei polliceantur Principes ſeculares. ibidem.
Eius electionem Communicatorijs gratulabantur Epiſcopi, & laici etiam Principes. 48. 49.
Propriam Electionem Epiſcopis omnibus per Communicatorias ſignificabat. 47
Eius munera explet Romanus Clerus Sede Romana

mana vacante. 136
Ei exaratę epiſtolæ pręfixam habent Pedum oſculationem. 175
Romana Sede vacante Clerus Romanus Summi Pontificis munera explet. 136

S

SAlutandi Formula in ſcribendo Apoſtolorum. 166.
Hebręorum. 165
Gręcorum Patrum. 167
D. Ignatij. 166
Latinorum Patrum. 174
Romanorum Pontificum. ibidem.
Salutatio in Oſculo ſancto quid. 178
Olim pro epiſtolę Clauſula. 177
Eadem cum Salutatione in Chriſto Ieſu. 178
Sede Romana vacante Clerus Romanus Summi Pontificis munera explet. 136
Seruum Seruorum Dei primus ſe vocauit, & inſcripſit D. Gregorius. 160
Eandem appellationem vſurparunt alij etiam Epiſcopi. 163
Solemnes Epiſtolæ, ideſt Paſchales. 107
Summi Sacerdotes appellati quicunque Epiſcopi. 158
Suſpectis hominibus tradebantur Commendatitijæ. 70
Synodales, ſeu Synodicæ epiſtolæ quæ. 121
Per eas Canonum confirmationem à Romano Pont. depoſcebant Patres in Synodo congregati. ibid.

Per

Per eas Pōtifex Rom. recens creatus fidei Formulā Epiſcopis omnibus mittebat. 123. 124
Per eas Epiſcopi recenter creati fidem Catholicam apud Rom. Pont. profitebantur. 127
Cur eo nomine apellatæ. 135
Synodici Canones ac Decreta robur ac firmitatem ab Apoſtolica Sede accipiunt. 121. 122

T

TAbellarij Eccleſiaſticarum Epiſtolarum, non niſi Eccleſiaſtici. 188
Tabellarius præfectus. 191. 192
Teſſera Hoſpitalis Ethnicorum. 63
Veterum Chriſtianorum. 65
Teſtamenta condi conſueuerunt cum hoc initio, *In Nomine Domini &c.* 169
Eorum clauſula interdum Crucis ſignum. 186
Teſtimoniales Epiſtolæ, ideſt Commendatitiæ. 74. 75.
Tituli honorum ijdem ſub finem epiſtolæ iterati, qui fuerant initio poſiti. 179
Tituli præclariores Romanis olim, ac alijs Pontificibus tributi. 156
Tituli quandonam apud Eccleſiaſticos in ſcribēdo adhiberi cœpti. 155
Titulum *Peccatoris* proprio nomini ſubijciebant interdum Epiſcopi in ſcribendo. 163. 164
Item Concilijs ſubſcribentes. 164. 165
Tractatoria Epiſtola quid. 95
Per eam afferebāt Epiſcopi excuſationem, cur Concil. adeſſe non poſſent. ibid.
Per eam etiam denunciabant Epiſcopi, hunc,

Vel

vel illum eſſe excommunicatum. 97
Tractatoria Epiſtola quid apud I.C. 86
Eius Formula. 89
Quid apud Eccleſiaſticos. 91.92
Per eam à Primate, ſeu Metropolitano euocabantur Epiſcopi ad Synodum. ibidem.
Per eam euocati Epiſcopi, benigne à Fidelibus excipiebantur. 94
Tranquillitatis Epiſtolæ, ideſt Pacificæ. 84.85

V

Viaticum, ideſt Commendatitiæ Epiſtolæ. 74.75.
Vnitas Eccleſiæ Communicatoriarum Commercio demonſtrata. 45.
Vnitiuum, ideſt Pacificæ litteræ. 84.85
Vniuerſalis Epiſcopus appellatus Rom. Pontifex 156.
Vniuerſalis titulum cur & quando damnarit Romanus Pontifex. 159
Vtilitas agendi de Antiquo Eccleſiaſticarum Epiſtolarum genere. 2

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

10